DE PRAEDONIBUS

INSULAM SANCTI DOMINICI

CELEBRANTIBUS

SAECULO SEPTIMO DECIMO

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.

DE PRAEDONIBUS

INSULAM SANCTI DOMINICI

CELEBRANTIBUS

SAECULO SEPTIMO DECIMO

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

HENRI LORIN

Scholae normalis olim alumnus
Nunc in eadem tuendae disciplinae curator

PARISIIS

APUD ARMAND COLIN ET SOCIOS

5, VIA DE MÉZIÈRES

M DCCC XCV

MAGISTRO ET AMICO R. PEYRE

D. D. D.

QUIBUS AD HUNC LIBRUM SCRIBENDUM SUBSIDIIS USUS SIM

Haec praecipue historiam praedonum Sancti Dominici scribentem adjuvabunt :

a. Quae de *Œxmelin*, *Basile Ringrose* et *Raveneau de Lussan* narrationes supersunt.

b. Varia quae Parisiis *in Coloniarum Archivo* servantur.

c. *Historia Sancti Dominici*, a Le Pers, S. J.

Alexandre-Olivier Œxmelin, sive Esquemeling, assator primum, deinde medicus apud praedatorias naves, historiam reliquit *Des aventuriers qui se sont distingués dans les Indes*, quae plurimum valet, pignoribusque certis, ut ab oculato teste scripta, vera multa de vita et moribus eorum refert, qui « littorales socii [1] » dicti sunt. Haec, batavice anno 1678 edita, mox maximam per Europam famam consecuta est; fuerunt igitur qui eam aut transferrent aut recenserent, unde difficilius quod ab Œxmelin ipso scriptum sit apparebit. Publica Bibliotheca Parisiorum exemplar habet anno 1686 (Parisiis, apud Jacobum Lefebvre, 2 vol. in-12) datum, quod archetypo proximum mihi videtur; hoc usus sum et quaeque infra ab Œxmelin mutuatus sum ad hoc attinent; quod tamen ad partem quintam spectat, quum a Jesuitis ea anno 1744 primum edita sit, Jesuitarum editioni sum obsecutus [2]. — Œxmelin nuper recensuit et breviorem fecit gallice Eug. Muller (Parisiis, apud Delagrave, 1 vol. in-12, 1888), quem britannice H. Powell (Londinii, 1 vol. in-8) imitatus est [3]. Powell in prooemio dixit se tantum exemplar quoddam, 1684 editum, transtulisse; quod a nostro 1686 exemplare saepius differt.

Narrationes a Basile Ringrose et Raveneau de Lussan (1686) relictae auctoritatem minorem obtinebunt: qui enim, acta diurna scribentes, raro d sit in regionibus memoria dignum aut historiae utile notaverunt.

Les *frères de la côte*.

Histoire des Aventuriers... augmentée de l'*Histoire des pirates anglais*... trate du capitaine Ch. Johnson.

Esquemeling, *The buccaneers of America...;* adsunt *Dangerous voyages... of* *'ain B. Sharp (1685)*.

Powell, quum Œxmelin, tum simul Ringrose edidit, et Jesuitae, quum Œxmelin, anno 1744, tum et Raveneau de Lussan; iidem quaedam de piratis Britannicis ineunte saeculo decimo octavo a Johnson translata addiderunt, ut quatuor volumina constituerent. — Nuper E. Ducéré in *Bulletin de la Société des Sciences, Lettres et Arts de Bayonne* (Lapurdi, *1894*) praedonis cujusdam narrationem recensuit, qua docemur consortes aliquot a Lapurdo ducere originem, pauca vero alia quae non ceteris documentis explorata sint (Archetypum invenias Parisiis, in Publica Bibliotheca, fs fr. 385).

Parisiis, in Coloniarum Archivo varia servata sunt ad Insulam Sancti Dominici pertinentia, epistolae legatorum, narrationes, litium instrumenta; ex quibus quaedam ad praedones spectant, rara vero quae non ad annos 1664 sequentes, a quo rex insulis potitus est. Haec praesertim perlegeris : *Correspondance générale de Saint-Domingue* et quae a *Moreau de Saint-Méry*, ratione *Historique de Saint-Domingue*, collecta sint; documenta forsan in ceteris rubricis non reperias, quae non in supra laudatis contineantur. Primum *Moreau de Saint-Méry* volumen narrationem servat, intra medium sæculum decimum octavum scriptam a quodam hujus insulae incola, quae de colonorum moribus, legentem multa docebit.

Haud facile iis voluminibus uteris, quum neque paginae numeris designentur, neque indices exsistant. Quaeque suum in annum ordinantur, non autem adstricte; hoc est cur hic semel quos annos praecipue volumen quodque contineat notaverim et infra nihil amplius nisi documentorum tempus referam, et qua in rubrica inveniri possint :

Correspondance générale (C. G.).		Historique de Saint-Domingue (H.).	
Vol. I.........	1664-1688	Vol. I..........	1492-1685
— II.........	1689-1693	— II..........	1686-1694
— III.........	1694-1697	— III..........	1695-1700
— IV.........	1698-1699	— IV..........	1700-1705
— V.........	1700-1701	— V..........	1706-1720
— VI.........	1702-1703		

Le Pers, Societatis Jesu consors, multos annos degit in insula Sancti Dominici, a 1705. Historiam illius coloniae variis libellis exposuerat, multosque, de quibus loquitur, ipse cognoverat. Hanc tamen operam amissam desideraremus, si Charlevoix, ejusdem Societatis consors, Le Pers manuscriptis edendis praepositus, officium paulo diligentius usurpasset : quippe, quum Charlevoix suam *Histoire de Saint-Domingue* protulisset (Parisiis, 1730-31, 2 vol. in-4), Le Pers illam corrigere suscepit, ut nimium diffusam nec expensam, et ipse novum opus scripsit quod ad nos in Publica Bibliotheca servatum est (Ms., fs fr. 8992); nihil mihi de Sancto Dominico magis valere videtur, et Le Pers multo praestat collegae Charlevoix et var tate et auctoritate, et exponendi ratione prudentiaque. Charlevoix libru a Le Pers (p. 125) saevius vituperatum non nisi cautius legendum cense

Pauca de praedonibus invenientur in Dutertre, *Histoire générale d Antilles* (Parisiis, 1667-1671, 3 vol. in-4) et Labat, *Nouveaux voyages aux Il de l'Amérique* (1722, 6 vol. in-12).

Inter ea quae nuper proscripta sint, nihil historiae interesse dixerim, nis

Archenholz, *Histoire des flibustiers*, quam germanice editam, gallice autem translatam (Parisiis, anno XII, 1804) in Publica Bibliotheca legeris; d'Archenholz quaeque intra saecula XVII^m et XVIII^m de praedonibus vulgata sint novit, iisdemque felicius etiam esset usus, si rationem exponendi compressiorem adhibuisset.

Pauca denique excerpes ex opere eximio Winsor, *History of America*. John Hopkins University, in Baltimore, recens (1894) edidit utiliorem librum *The Carolina Pirates and colonial Commerce*, 1670-1740, by Schirley Carter Hughson. — Powell, quum Œxmelin ederet, imperite prooemium addidit, quo demonstrare conatur praedones ad Britanniae gloriam exstitisse praecipue : quod ab illo exspectandum sit eo apparebit quod Morgan, praedonum ducem celebratum, *Our English Jamaïcan Hero* denominet. Varia de praedonibus, et in primis de Michaele Cantabro et Ducasse E. Ducéré collegit, ad librum componendum qui, *Histoire maritime de Bayonne* inscriptus, jam in eo est ut brevi typis mandetur.

⁂

QUI TESTUDINI ET SANCTO DOMINICO PRAEFUERINT

SAECULO SEPTIMO DECIMO

Levasseur Testudine potitur (1640). In vices interfecti Levasseur *Fontenay* succedit (1652).

Captam ab Hispanis Testudinem *du Rausset* recipit, eique praeficitur (1660-1664).

Indorum Occidentalium Societas Antiliarum dominium suscipit (1664). *D'Ogeron* Testudinis legatus a rege ordinatur, 1664-1673; anno 1676 in Gallia moritur.

Pouançay, d'Ogeron nepos, legatus vicarius 1673-1676, legatus ordinarius, 1676-1683.

Cussy, 1683-1691.

Ducasse, 1691-1703.

DE PRAEDONIBUS

INSULAM SANCTI DOMINICI CELEBRANTIBUS

SAECULO SEPTIMO DECIMO

CAPUT PRIMUM

DE IIS ASSATORIBUS, GALLICE « BOUCANIERS », QUI GALLI PRIMI IN SANCTO DOMINICO ET TESTUDINE INSEDERUNT

Europaeorum principes Hispani Antilias incoluerunt; insulæ dictae Guanahani Columbus primum appulit, et ad eam majorem pervenit quam, mutato nomine, Hispaniolam dixit, mox Sanctum Dominicum; plurimi Hispani, Columbum imitati, ad nova invenienda regiones repertas invaserunt; quibus mox patuit indigenas, pacificos plerosque, auro divitiisque ita abundare, ut inter eos fortuna facilis erronibus praeberetur; porro, quum in Hispania sacerdotes aliquot observassent catholicam fidem, quot in Europa credentes et Turcorum incrementis et protestatorum nova religione perdidisset, totidem ipsam inter indigenas in America recipere posse, quam plurimis hanc regionem occupandi alacritatem addiderunt; inde Hispani, intra Americam versantes, aut metallis conquirendis studuerunt, aut Christo praedicando, nec fere unquam quos proprie colonos dixeris inter indigenas habuerunt, nedum istos ad exercen-n tellurem aut ad alendum commercium socios sibi praestarent. ıd igitur erat Hispanorum in America imperium, ut vix Euro-is adversantibus praeservari posset, et domini frustra, bullis pon-calibus freti, totum in hunc Novum Mundum dominium vindica-t, quum jus inerme tantum prae se ferre valerent; nulli enim

unquam reges in Europa tanta contendentibus assensi erant, imo Hispanos in coloniis peregrinorum commercium stricte prohibere adeo iniquum existimabant, ut hac tantum ratione, saeculo septimo decimo, conveniretur perpetuum in eos bellum permitti[1]. Ut primum Galli, Batavi Britannique aliquot in Antiliis, ineunte saeculo septimo decimo, insederunt, omnibus exploratum fuit, Hispanos defendendis coloniis esse impares, multumque de his lucrum sumi posse; ipsique Hispani infensiores sibi fecerunt omnes quibus intra Antiliacum mare occurrerent, quum peregrinos in Sancto Dominico domicilium collocantes, venatui primum deditos, quotidie vexarent et ad novam aetatis degendae disciplinam cogerent. — Quo modo venatores illi congregati fuerint primum inspiciemus, et quibus moribus usi sint, tum qua ratione in praedones mutati et pro virili parte nemini a principio obnoxii, postea cum sedentibus colonis magis atque magis intermixti, ad Hispanorum imperium in America labefactandum adjuverint.

Galli primum intra Antiliacum mare regnante Ludovico XIII colonias posuerunt; anno enim 1625, gubernator quidam, d'Esnambuc nomine, in insula Sancti Christophori cum erronibus consedit, annoque 1626, societas in Gallia facta est, ab ipso Richelieu participe ministrata, quae commercio vel agrorum cultu exerceret Sanctum Christophorum, Barbadam ceteras que Antilias, dum a nullo christiano rege occuparentur [2]. Britanni aliquot, eodem tempore quo d'Esnambuc, Sanctum Christophorum attigerant, nec inter eos Gallosque concordia diutius actum est, quippe tunc in Gallia multum de religione disputaretur, et heretici bellum a Cardinali paterentur: inde, circa annum 1630, incolae multi, plerique quidem Galli catholicique Sanctum Christophorum, dissensionem detestati, relinquere statuerunt. Ea ipsa tempestate, a nautis per Antiliacum mare diu versatis, nuntiatum in Sancto Christophoro fuit, insulam de Testudine dictam portum praebere in littore septentrionali Sancti Dominici [3], et littus illud omnium rerum copia abundare quum bovibus aprisque, tum variis arboribus, non tamen homines, vel Gallos vel alios, illic vivere.[4] Huc exsules Sanctum Christophorum deserentes confugerunt.

Hispani, quorum Sanctus Dominicus colonia erat, in littore septen-

1. Hoc expresse scripsit in quodam libello Bernou sacerdos, quo familiari Cavelier de La Salle utebatur (*Pub. Biblioth.*, ms. Clairambault, vol. 1016, p. 65
2. Dutertre, I, 4 sq.
3. Insula Sancti Dominici saepius *continent* seu *grande terre* dicitur, quu non nisi parvae insulae proximae sint, in Septentrionali.
4. Narrat. domini de Cahuzac, regis cardinalisque legati, 1629. Col. Arch. I

trionali nunquam insederant; eo potiti, Galli quos oneraria navis transtulerat, ut Batavo gubernatori gratias redderent, multos boves intra paucos dies occiderunt, navemque, unde viverent et domos erigerent ab ea mutuati, cutibus plenam dimiserunt; eorum vicus in Testudine positus est, mox in proximo littore auctus [1]. Insula quam de Testudine dicunt, promontorium vulcanium, duas leucas longum, octo largum, surgit Sancto Dominico adversa, oppositaque tenet vallem portumque de Pace dicta; Testudinis non attigeris nisi partem australem, cujus in rupibus sinus exciditur. A Sancto Dominico spectanti, insula formam immensae testudinis induisse videtur, quae fluctibus, strato corpore, sustineretur, ideoque nomen accepit; soli ubertate valles, ut in Antiliis solitum, florent, quae autem exiguae sunt, fontesque rari; natura locus non agris colendis accommodatus est, sed qui « arcem Sancto Dominico praestet, tutumque magna conantibus refugium [2] : » primum continentis *assatoribus* patuit, qui vexatores Hispanos fugiebant.

Pauca de Testudine inter primos decem annos supersunt; diversis vicibus tunc ab Hispanis capta, tunc a Gallis Britannisque erronibus rursus occupata est. Circa 1640, Britanni imperabant, ducemque, nomine Willis, elegerant; eum ex insula Nevis cum sociis trecentis profectum, Galli aliquot in Testudine, recens ab Hispanis relicta, libentius acceperant, regione autem potitus, Willis Gallos subito armis spoliavit et in navem primum clausos, mox ad littus septentrionale continentis nudos deposuit; plerique ab Hispanis occisi, elapsi autem quidam, gallicis insulis praefectum Poincy de re certiorem fecerunt, et ille in praesentia eo facilius ultioni studuit, quod hac ratione legatum quemdam nomine Levasseur et stimulare et simul arcere posset.

Levasseur illum omnes prudentem fuisse dicunt audentemque; anno 1625 d'Esnambuc ducem secutus, in Galliam postea redierat, mox in insulas rursus, commercioque, ut eo tempore novo et ancipite, dives factus erat. Eum Poincy plurimi faciebat, et sibi legatum in Sancto Christophoro instituerat, vallis praecipue faciendis praepositum. Levasseur autem Calvini religionem adsciverat, et Parisiis magistri societatis Poincy ejus causa vituperabant; his negotiis tumentibus, assatores Testudinem fugientes advenerunt; Poincy, occasionem amplexus, Levasseur praefecit qui contra Willis ejusque [Br]itannos naves duceret, magistrisque scribebat « se nunquam [hae]reticis indulsisse; Levasseur autem tantum, ut necessario, cautius

[1]. Œxmelin, I, 3.
[2]. Epist. Poincy, Americanis insulis praefecti, nov. 15. 1640. Col. Arch. H.

uti voluisse, quoad eum dulcius persuaderet divitias procul arcessere, et discordiam coloniae imminentem eo modo ad omnium commodum averteret [1]. » Re vera, participes ejusdem societatis Poincy et Levasseur exsistebant : ubi ille Testudinem occupatam habuit, ambo pactum fecerunt quo primum, in hac nova colonia, utraque religio eadem libertate frueretur; hoc pactum superest, quod Poincy, ejus clausulae causa, semper subscripsisse negavit, inventumque ea ratione Dutertre gratia majore protulit [2] : anno 1641 datum est, secunda die novembris, a quo constat Poincy, quanquam magistris invisum sibi fuisse Levasseur profitetur, cum eo furtim societatem et commercii et amicitiae prosequi; nec multum miror, quum ex Antiliis Galliam petenti duo menses navigandum esset summamque legati libertatem insciis magistris usurpare possent.

Testudinem Levasseur anno 1640 ingressus est, cum Gallis paucis, hereticis omnibus, profectus; primum cum Britannis insulam colentibus conjuncte vixit, mox autem inter eos dissensio fuit ortumque jurgium : Britanni navem diripuerunt quam Poincy ad cutes tollendas miserat, et Levasseur, ipso Poincy auctore, quod Willis erexerat castellum deprehendit. Est qui, testibus oculatis usus, Britannos narrat praecipites sese fugae mandavisse, nec sarcinis quidem ablatis, ut quas antea possiderent Antilias repeterent. Levasseur ad Poincy scripsit, qui victoriam notam, et quid Testudo « regis cardinalisque utilitati » valeret exploratum faceret. Idem in littore stationem disposuit, Testudini proximam, quam Portum Margot nominavit. Per annos admodum duodecim, Levasseur hanc Sancti Dominici regionem dominus habuit, et sese ad id intendit, ut divitias augeret, ultimosque qui superessent hostes, scilicet Hispanos, arceret. Hac aetate nulla Gallis felicior fuit, qui Sanctum Dominicum incolebant, et assatores, gallice *boucaniers*, dicti sunt [3].

Verbo *boucan* Le Pers refert *assare* significari, Indorum Sancti Dominici sermone. Levasseur ejusque sodales hoc nomen acceperunt a modo quo carnem occisarum ferarum parabant : ea vescebantur, una cum frugibus quas fundebat opima Sancti Dominici tellus, et quasi perpetuo venantes vivebant. Vestitum habebant, quum perfectum, subligaculum aspero linteo sutum, adsimilemque subuculam, eaque, rarissime mutata, ferarum cruore rorabant; graves in coriis calceos exsecabant et sacco, interdiu in zonae modum obvoluto, noctu sese dormientes, qui muscarum aculeos caverent, ve

1. Epist. laud.
2. Col. Arch. H.— Dutertre, I, 588.
3. Le Pers, 77.

bant. Caput coactili petaso adumbrabant, cujus oram in galeae formam circumcidebant et, semper in armis versantes, exiguo gladio cingebantur ab Hispanis *manchete* dicto et pluribus batavicis cultris; fistulis ad hoc ipsum fabricatis et, ut his temporibus, certo ictu praestantibus utebantur; erant qui nummos centum et viginti passuum intervallo perforarent. Iidem utilia quaeque ex destinato facienda locabant, arcessita a Cherbourg pulvere, a Dieppe sive a Namneto fistulis [1].

Assatores tum boves indomitos, tum apros venabantur : bovium non nisi coria servabant, carne canibus relicta quos dominus quisque ad venationem alere solebat; aprorum autem carnem apparabant, quam ipsi comederent aut colonis venumdarent. Œxmelin, qui domino assatori famulatus est, utrumque venatum descripsit : boves plerique fistulis affligebant, quidam vero aut solertia praecellentes, aut parcius agendi causa, injecto laqueo corripiebant; fuerunt etiam qui feras canibus excitatas cursim rumperent et cultro non nisi semel immisso, excisa suffragine, prosternerent. Seminiger quidam, nomine Vincentius des Roziers, inter omnes hac arte eminuit; notatum enim est, inter centum coria quae in Galliam immitteret, ne decem quidem glandibus perforata fuisse. Jam procumbentis ferae, nec saepius confectae, membra frangebantur, dominusque quatuor ossium praecipuorum medullas ferventes exsugebat. Corium deinde, breviter apparatum, servi ad indictum locum tollebant et hastilibus in solo fixis explicabant; nec opera deerat, ut corium centum aut centum et viginti pondo per plures leucas traheretur inter virgulta rubosque.

Aprorum autem carnem assabant : quam, tenuibus habenulis consectam et sale adspersam, ligneae craticulae imponebant, ignemque infra, ossibus et cutibus injectis quam maxime fumosum, admovebant. Quo perfecto, caro adeo jucunde sapiebat, ut vel non decocta manducari posset ; « purpureum, rosarum modo, colorem assumit et suavissime redolet ; hoc autem molestum est quod non diutius servetur, et post sex menses non nisi salis saporem retineat. » Assatores crebro, quum boves per hebdomadem venati essent, die dominica servum mittebant qui aprum occideret et lautam coenam appararet. Plerumque inter saltus dormiebant, serpentum securi quibus insula abundabat ; quum tamen eodem in loco aliquamdiu manerent, palmorum frondibus ramisque casulam ex tempore erigebant, illorum sermone *ajoupa* dictam [2].

1. Cf. Dutertre, III, 141.
2. Œxmelin, I, 12.

Assatorum exercitum junioribus supplebant et errones, qui ceteras insulas relinquebant, et multi, *obligati* nomine, re vera servi, quibus ex Europa ductis nonnulli quasi nigris negotiabantur. Obligati in Gallia conscribebantur, plerique in provinciis Normannia et Andegavia, ex quibus assatores plurimi, inter primam aetatem, originem ducebant. Obligatus quisque praesente tabellione in triennium jurejurando deditus, ad Testudinem vehebatur; elapso triennio, dum incommodis injuriisque superesset, a domino exauctoratus, praemia accipiebat nummos quindecim, assatoris fistulam et pauca victui aut venationi utilia; tunc ipse sibi venari permittebatur et, ut industria valebat, capiebat divitias. Nonnulli multa quondam passi in eos, quibus deinde domini obligatis uterentur, ulti sunt : quemdam a Dieppe ortum, cognomine Belle-Tête, trecentos efflexisse referunt et vituperanti sacerdoti respondisse ad insulas sese non venisse, nisi ut pecuniam capesseret et diabolo negligentius devoveri, dum pueri rheda privata vehi possent [1].

Ad Testudinem errones undique collecti veniebant, anteacta oblivione deleri studentes; inter assatores enim hoc moris erat nihil unquam de personis exquiri : « quum tropicos transgredimur (hoc dictitabant), quæque nobis officia prius exsistebant, aquis demergimus. » Inter se nominibus novis utebantur, ut actae aetatis memoriam abolerent; sunt quos a cognominibus tantum amici ipsi noverint, *Brisegalet*, *Tournauvent*, *Passepartout*; nonnullos honestiore loco ortos esse patet, ut Œxmelin ille fuit qui de hac insolente societate librum nobis reliquit; apud Testudinem inter « littorales socios », filium cujusdam Groninguensis negotiatoris visum dicunt, qui in Bataviae concionibus sederat [2]. Gregarii nautae pacta ab ipsis scripta luculente subsignabant [3], quo plerisque publicarum navium tironibus praestabant : in Testudine igitur inter assatores, viventibus Richelieu et Colbert, ut nunc apud hanc quam peregrinam legionem dicimus, multos ancipitis impacataeque vitae curriculum tacite absolvisse videtur.

Nec mirum assatores, ea ratione congregatos, Europae legibus moribusque parum obsecutos : quum igitur Charlevoix civitatem popularem fuisse inter eos institutam scripsit, hoc non ad verbum intelligendum; assatores profecto nunquam regnati sunt, nunquam autem rempublicam unam condiderunt; dominus quisque nulli alteri erat obnoxius, eosque, quibus utebatur, obligatos servosq

1. Œxmelin, *loc. cit.*
2. *Id.*, II, 3.
3. Col. Arch. C. G.

sine arbitrio regebat, ut assatorum multae potius forent vicinae societates, quam una civitas. Summam inter se honestatem usurpare jactabant : « si quis alienam arcam invenerit, in qua pulvis, glandes telaque servari solent, necessaria sibi, nulla religione impeditus, mutuatur; domino autem occurrenti quid sumpserit ultro declarat et, ut primum facultatem habet, ad assem reddit; hac ratione inter se haud cunctanter utuntur [1] ». Jurgia saepius ex utriusque commodo, bona gratiā, componebant; quum autem de gravibus contumeliis agebatur, singulari certamine pacto, inter silvas fistulis controversiam dirimebant : quis prior armis occuparet sortiebantur, et, occiso alterutro, testes a medico vulnus inspiciendum curabant, an honeste ictum foret annon quaerentes; doli manifesti reum, arbori affixum, statim affligebant. Legatis postea in insula constitutis, haec obsoleverunt et ad judices quisque lites deferre consuevit [2].

Assatores plerique bini societatem faciebant gallice *matelotage* dictam; quanquam omnes sese *littorales socios* appellabant, nulli jure, nisi bini *nautae* jungebantur. « Hi quidquid possideant commune futurum paciscuntur, usquedum separari consentiant; intra societatem si quis moritur, alter in universas opes succedit, nec haeredes sui admittuntur, qui ab Europa venientes partem adire studeant [3]. » Nautae bini in terra considunt, vel vacua, vel a regis legato concessa; circum erectam casam pauca jugera extricant, et ad victum varia, saepius tabacum, serunt; dum socius alter, obligatis adjutus, agros colendos speculatur, alter venatum curat et occisas feras ad domum communem tollendas. Qui primae aetatis coloni, omnes fere homines, illum beneficio quasi procaci frui existimabant, qui sibi mulierem provideret, ut Thibaut illum cujus uxori Levasseur ipse, nil forsan aliud adeptus, vim intulit [4]. Nec ideo miror omnes qui de Sancto Dominico scripserint, assatorum flagitia notavisse; haec de certis vitiis intelligenda; ne tamen vituperantes fugiat errones istos in vitiosa necessario esse perductos, quum ad feram agrestemque vitam ita cogerentur, ut quidam carnem non nisi crudam edere possent [5].

Coloniam a Levasseur conditam Hispani Sanctum Dominicum incolentes mox invisam habuerunt; hi septentrionale littus nunquam

1. Œxmelin, I, 12.
2. *Id.*, *ibid.*
3. *Id.*, *ibid.*
4. Dutertre, I, 174.
5. Œxmelin, *loc. cit.* — Cf. Dutertre, III, 141. — Charlevoix, II, 42 sq. — bellum anno 1763 scriptum. Col. Arch. H.

occupaverant, et in orientali parte praesertim versabantur, ubi ad nos usque eorum lingua superest in *Republica Dominicana*. Assatores autem audentissime a Testudine et Portu Pacis intus insulam penetrabant; a stationibus in littore septentrionali dispositis, inter quas bataviсis navibus conductis communicabant, longius in intimam insulam procedebant, obviique Hispanorum vicis casas diripiebant [1]. Levasseur censuit assatores, quibus socius potius quam dux aderat, nunquam prius fore securos, quam Testudo vallis muniretur, fugientibus pro re nata receptaculum. Parvi referebat casulas ab Hispanis structas everti, quae, ad tempus tantum erectae, facilius restitui possent. Testudinem vero, jam circumdante mari defensam, et contra hostes excursionem tentantes corroborari expediebat. Hanc igitur Levasseur accommodandam curavit ut in rupibus quae portui imminent aequato solo machinae intenderentur et militibus armamentaria hospitiaque pararentur : quae Dutertre dicit ad trecentorum plus minus hominum modum fuisse confecta. Ipse Levasseur, ut aquila nidum, domicilium sibi summam rupem elegit, ex hoc medio aggere surgentem; quam ut attingeres, gradibus primum e saxo sculptis, tum scalis deorsum immissis utendum erat; ibi dominus, ablatis scalis, tutus dormiebat hancque domum verbo forte nimium benigno suum columbarium dictitabat [2]. Assatoribus profuit hanc de Rupe dictam arcem erectam fuisse : vix enim confectis operibus, Hispani sexcenti ad Testudinem appulerunt (1643). Hostes navibus intra tormentorum jactum venire Levasseur primum passus, mox omnibus viribus ne in terram quidem egressos ita obruit, ut naves aut mergeret aut ommino pessumdaret. Hispani, arcis posteriora petere contendentes, insulam circumeunt; nec prosperius iis cedit, et, plus quam centum hominibus amissis, confugerunt [3]. Qua victoria Levasseur maximam famam in Antiliis adeptus, erronibus multis undique acceptis, per decem fere annos, Hispanis nil novum explorare audentibus, in Testudine quasi dictator eminuit, ab assatoribus plerisque primum probatus.

Constat, quanquam in documentis pauca indicia apparent, Testudinem hac tempestate Europaeis mercibus emporium celebratum fuisse. Batavi primum assatores commeatibus suppeditarunt, illius gubernatoris exemplo allecti qui, anno 1630, coria ab eis accepta haud dubio cum lucro in Europa vendiderat. Fuerunt deinde Galli qui Batavos imitarentur, a Dieppe et Namneto praecipue Assator in casulis *ajoupas* dictis coria servabant, ibique exspectabant dr

1. Libel. 1763.
2. Dutertre, I, 171. — Le Pers, 77.
3. Dutertre, I, 172. — Le Pers, 80. — Charlevoix, II, 6.

naves appellerent, quibus haec mutarent pro vino, aqua ardente, tela, armis, pulvere, glandibus ceterisque quibuscumque utebantur [1]; quo confecto, venatum redibant. Ea deinde fuit inter Gallos negotiantes aemulatio, ut quidam introrsum pergerent, venantibusque occurrentes intra silvam mercaturas facerent : d'Ogeron ille, qui prius negotiatus est quam a rege Testudini praefectus foret, navem quondam vino, aqua ardente obligatisque profuse oneratam ad assatorum littora duxit; quo autem egressus, alios occupasse novit, tantamque copiam importatam fuisse, ut quodcumque haberet dispendio vendere cogeretur [2]. Hoc etiam patet maximum fuisse inter Europam Testudinemque commercium, quod obligati in insulam certo pretio, ut nunc a praecipuis Britannorum Gallorumve societatibus usitatum, vehebantur : libras sex et quinquaginta viritim solvi solebant. Assatorum principes tum ipsi Europam interdum petebant qui obligatos aliaque necessaria sibi colligerent, tum amicis in Gallia viventibus mandatores utebantur [3].

Poincy tamen coloniam a Levasseur conditam, ut nimium florentem, haud aequo animo intuebatur; ab epistolis quas annis 1643 et 1644 ad societatis magistros scribebat confici potest eum saepius illustrare quid sit periculi in hac quasi sui juris republica, et ab hereticis constituta; a magistris igitur jussum postulavit, ut Levasseur revocaretur et invitus, si foret opus, expelleretur [4]; quum autem res magni momenti esset, nec in aleam dandum, Poincy primum conatus est aemulum Levasseur sine bello tollere; quem in Hispanos victorem non nisi cautius aggredi audebat. Ad Testudinem igitur nepotem, nomine Lonvilliers, misit, qui cum Levasseur sermonem habere amicus affectaret, coloniam vero novam simul conderet, cujus aemulatione Levasseur quaeque lucra colligeret ut esset antea pactum partiri cogeretur : a Lonvilliers Levasseur humaniter rogatus est, ut ad Sanctum Christophorum transiret, ibique cum Poincy communicaret; cavebat autem ille, quem non fefellere insidiae; Lonvilliers ad avunculum mox reversus, verba narravit Levasseur quam amicissima dedisse, nil autem amplius daturum, unde patuit illum quid valeret plane notum habere, nec inimicis, ex utriusque commodo rerum componendarum studio illusum, sese traditurum [5].

Quin imo, ut Lonvilliers profectus est, Levasseur in Testudine

Dutertre, III, 141.
Dutertre, III, 143. — Le Pers, 79.
Œxmelin, I, 12.
Hae epistolae in Col. Arch. H. servatae sunt.
Dutertre, I, 168, sq.

cum ipsis commilitonibus asperius et ad tyranni modum egit : errat libelli 1763 scriptor, quum illum sui juris fieri tentasse dicit, quippe qui jamjam nemini esset obnoxius; avaritia autem, cui vitio praecipue deditus, Levasseur quibusdam vim adhibuit; in insula, quae assatoribus emporio maximo erat, de rebus venalibus tributum ex libidine indicebat; onera gravissima incolentibus imponebat, quibus castellum muniret aut suppeditaret; eum sane a paucis sodalibus, ad ipsius modum audentibus adjutum fuisse constat inter quos illi Thibaut et Martin, quos consiliorum participes haeredesque constituerat; nec modica haereditas, quum argento escario, Hispanis forte direpto, Levasseur quotidie uteretur. Hereticus, catholicos primum vexaverat, et ex insula capucinum quemdam expulerat, nomine Marcum, qui postea legato d'Ogeron capellanus adfuit [1]; eo jubente, catholicum sacellum erat eversum. Qui autem mox et hereticos inimice insectatus est : Rochefort quemdam, qui cum ipso venerat, sacerdotali munere fungi vetuit, quare Le Pers suspicatur Rochefort nihil de prima Testudinis aetate in Antiliarum historia, et opere probo, dixisse, quam in Gallia redux protulit [2]. Mox quisque in Testudine domino Levasseur aut obniti aut segnius favere suspectus est, per aspera, alterutram fidem consecutus, pariter jactatus est : castellum Levasseur *purgatorium* nominabat, quod in eo non graviora punirentur; *infernum* dicebat ferreas caveas, regis Ludovici XI « filiolas » imitatus.

Quaeque Levasseur duriter ageret, Poincy notanda curabat, et eum haud dubie poenas dare instituisset, nisi eodem tempore ipse in discordia versatus esset cum Thoisy-Patrocles, quem rex insulis praefectum et Poincy successorem destinaverat. Dum ea discordia viguit, inter annos 1646 et 1651 [3], Levasseur tutus in Testudine vexationes persecutus est : Poincy, a Sancto Christophoro minas inermes jactanti, facetiis respondebat; vindicanti quamdam Hispanis raptam argenteam Virginem, ligneam imaginem misit, catholicos professus materiam pro nihilo ducere, sese vero, ut hereticum, aliis praecipue studere [4]. Anno autem 1651 Poincy, amicitia cum Thoisy restituta, exercitum adversus Levasseur parabat; illum jam suae saevitiae perdiderant; auctores Thibaut et Martin cum paucis de interficiendo Levasseur conjurarunt, ab eo poenam esse dandam suadentes, quod vim mulieri cuidam intulisset, a Thibaut sustentatae et, teste Dutertre, pulcherrimae. Patrato facinore, sicarii facilius in castello

1. Œxmelin, I, 13.
2. De hoc nihil invenimus, praeter quod a Le Pers narratum est.
3. Haec explicat Dutertre, I, 356-392.
4. Dutertre, *loc. cit.*

Rupe dicto consederunt, incolis promissa fecerunt se non ad Levasseur consuetudinem acturos, et aliquot mensibus elapsis, nil de praeteritis memorari videbatur, quum navis Galliae publica, e Sancto Christophoro profecta, Testudini appulit.

Cui praepositus Fontenay praeerat, a Poincy missus ut Sanctum Dominicum in ordinem redigeret et Levasseur expelleret : eum enim esse interfectum nondum in Sancto Christophoro notum erat. Poincy, pacto die 29 maii, anno 1652 subscripto, ad dimidium cum Fontenay quidquid lucri emergeret, participari decreverat [1] : « Quod ad Levasseur attinet, hoc consentimus quaeque ab eo possideantur, aurum argentumque, tum infectum tum monetale, gemmas, ornamenta, fundos, saccharo et aquae ardenti fabricandis torcula machinasve, supellectilem et ad usum personalem et ad domesticum, servos et, ne multa, quaevis ejus esse constet, in duas partes pares dividi, alteram dicto legato Poincy, alteram dicto equiti Fontenay, exceptis tamen quae non movere necesse sit ut a susceptis in dicta insula operibus non cessetur. » A quibus manifestum est, non de regis utilitate agi, sed de quorumdam commodo. Fontenay in Testudine Thibaut et Martin reperit, Levasseur interfecti successores; primum obsistentibus, mox verecundiam ita fecit ut interfectores citantibus incolis castellum de Rupe dictum, vita pacto data, vacuum relinquerent. Nos fugit quanta fuerit Levasseur divitiarum copia; dubium est etiam an Poincy dimidium acceperit. Princeps Fontenay sese dixit « a rege Testudini et Sancti Dominici littoribus praefectum; » qui omnium factorum dictorumque veniam decrevit, et catholicam fidem restituit [2].

Quo modo inter haec discrimina Testudinis incolae exstiterint notandum censeo : post Levasseur occisum, ab interfectoribus regi aequo animo tulerant; huic deinde Fontenay succedere annuerunt, qua re videtur eorum jam propriam esse vivendi lucrandique rationem, nec eos de rebus iisdem curare, quibus errones, in insula non nisi ex tempore insidentes, et ad vagandum promptiores; in hoc tantum conveniebant quod Hispanis, utrique vero suo modo, infensi forent : alii, piratae indomiti de quibus infra latius disseram, ad terram non appellebant nisi quum spolia deponere aut naves reparare opus esset; alii, assatores primum et sensim ad agros colendos gis atque magis assueti, domi sedebant; quos tamen Hispanis

Hoc pactum in Col. Arch. servatum (H., vol. I), Dutertre ad verbum refert ›88). A subscriptione confici potest « de Fontenay de Lonvilliers-Poincy, item », eumdem esse ac illum Poincy legati nepotem, de quo supra dictum.
Dutertre, *loc. cit.* — Le Pers, 80. — Lib. 1763.

multo magis formidandos dixerim, quum in dies adolescerent et, diligenter ducti, Sanctum Dominicum paulatim totum Hispanis eripere possent [1].

Fontenay strenuus erat, sed, ad Poincy modum, avidus divitiarum gloriaeque; praecipue igitur piratis adjuvandis in Testudine studuit nec agris colendis, quo lentius, melius autem in futurum effecisset;ab his temporibus, Hispani intra Antiliacum mare versantes concurrentibus praedonum navibus a commercio cessare adeo cogebantur, ut praeses Sancti Dominici,quum ab Hispanorum rege frustra praesidia postulasset, ipse contra Testudinis incolas exercitum compararet (1654) : delectos milites, tanta erat Gallorum ejus insulae fama, collegit, imo nigros, quos ipsos armis instrueret, a Batavis emit, sua sponte sibi negotium illiciti commercii exhibens : quem postea, quamvis secunde inventa ratione res gessisset, Hispanici judices ad scriptae legis verbum capitis damnaverunt [2]. Eum appropinquare Fontenay certior factus, omnia munivit ad bellum fortiter accipiendum; incolas tamen sensit non esse ad auxiliandum aptos,et praedonibus tantum esse credendum : Hispani primo concursu victi, jam ad naves, ut Levasseur tempore, regredi instituebant, quum audiverunt discordiam esse ortam inter Fontenay et incolas; quo freti, intentius instituerunt, tormenta per rupes abruptas sustulerunt, unde in Gallorum castellum despectum haberent, et prospere praeliati sunt; paventes incolae nuntium ad Fontenay miserunt, qui deditionem suaderet : « Furcifer, ait ille, si deditionem fecero, castellum ab hostibus occupatum non videbis », nuntiumque minimae fistulae ictu prostravit. Quum tamen glandes pulvisque jam deficerent et Hispani bene muniti paucos homines amitterent, Gallos cedere oportuit et Fontenay felicius cum hostibus depactus est, ut milites in Galliam educeret; inter viam commeatibus a quodam Batavo navigante acceptis, itinere verso Hispanos incautos deprehendere conatus est; pulveris autem copia iterum deficiente, coeptum secus cecidit. Maxima fuit victis opera, ut navem debilitatam et rimis fatiscentem ad Açoras insulas ejicerent : Testudinem Galli perdiderant.

Inter Fontenay commilitones, nonnulli cum Britannis praedonibus societatem fecerunt, et Jamaïcam, anno 1655, occupaverunt; quum deinde Hispani hanc insulam incolentes intus in sil--- confugerent, victores eorum capitis pretium sese daturos proposi runt, et assatores quidam, certo ictu destinata petere praestant

1. Cf. praecipue Le Pers, 80, 81.
2. Le Pers, *loc. cit.*

in Jamaïcam venerunt, qui victum hominum venatu quaererent. Plerique autem alii alio in littore septentrionali Sancti Dominici dilapsi sunt, et inde vici conditi, quos circa coloniae novae sensim increverunt. A Dieppe enim, ea tempestate, negotiatores commercium insolitum iniverant, mulieres, rem maximae aestimationis, importantes; quum Europaeae deessent, nigras feminas a Batavis emptas aut in Hispanorum villis captas, assatores uxores ducere assuescebant, nec jam inter littorales socios rari seminigri. Hispani, tantis viribus perturbati, omni ope enisi sunt ut assatores e Sancto Dominico expellerent : non aliam ob causam vigiles hasta munitos et equis optimis expeditos instituerunt, quos *quinquagintaviratum* dicebant, ut quinquagenariis turmis divisos; ab his equitibus nonnullae assatorum casae deprehensae quotidie erant, hominesque interfecti.

Galli eo modo lacessiti, quum lapso nulli parceretur, ob desperationem fortius dimicabant; qui saepius per silvas, serpentum modo reptantes, ad equos usque veniebant, quorum excisa suffragine equites uno ictu in jugulum pugione percutiebant; bellum non ultro inferebant, sed ut primum unum inter eos aut interfectum esse aut ereptum audiebant, omnes a venatione sese prohibebant, donec ex Hispanis uberrimam ultionem petiissent. Quum Hispani casulas noctu incurrere invenissent, Galli, tota die catervatim venati, noctu castra ponere assueverunt in his parvis insulis, quarum, in littore septentrionali continentis surgentium, Testudo maxima est : ideoque accidit ut errones illi, ab Europaeis militibus vexati, sese paulatim ad communem belli disciplinam redigere conati sint, et condensiores, non rari ac singuli, tum ad condendas colonias, tum ad praelium gerendum processerint. Vicos igitur arctis casis ad defensionem facilius instructos confecerunt, et inde ortae sunt in littore septentrionali Sancti Dominici urbes Samana, Bayaha, Gallorum Promontorium, Portus Pacis, in occidentali autem Angiportus, Leogane, Parvus Goave; quos circa vicos diutius cum equitibus Hispanis pugnatum est; multi loci, praeliantium cruore manantes, nomen inde servaverunt gallice *Massacre* aut hispanice *Materia*, multique assatores, ab hostibus vivi capti, ad metalla in Peruvio condemnati sunt, quod ipsa morte durius aestimabatur [1]. Hispani denique, quum assatores subi---e desperarent, eorum victui obstare, id est feras quas venabantur ditus delere, statuerunt, ideoque, circa annum 1660, insulam dis-ıute feris vastam fecerunt : mox boves ad unum sublati; aprorum .em, venatu minus pertinaci agitatorum, nonnulli superfuerunt,

Haec pleraque a Le Pers (80 sq.) sum mutuatus et a libello laudato 1763.

Assatores plerique priscam vivendi rationem reliquerunt; quidam agris colendis se dicarunt aut silvestribus equis domandis; qui feras non nisi ex occasione venabantur, quum apri capite comissari vellent; alii praedones facti sunt, nec Hispanis profuit eos ad agendi modum mutandum coegisse; ceterum Sancti Dominici praeses, dum ipse quiesceret, parvi faciebat an hostes collegis suis pararet, in Mexico aut Panama insidentibus.

Eodem tempore quo assatores bellum in Sancto Dominico huc illuc gerebant, Testudinem Galli receperant. Hanc enim insulam, ab Hispanis, expulso Fontenay, desertam, pauci errones repetierant. Fides est, auctoribus primis colonis qui ad Jamaïcam confugissent, Britannum quemdam, ejus insulae incolam divitemque, nomine Elyazouard, ad Testudinem appulisse, ibique rempublicam, quae paucos annos exstiterit, condidisse; de illis facinoribus in Europa auditum est et, intercedente Gallorum rege, a Britannorum senatu concessum insulam esse Gallorum; nuntius inde ad Elyazouard missus est, qui eum gallico legato recens destinato parere moneret, aut insulam reddere [1]. Unus Dutertre ea narravit; quum autem testis oculatus est et plerosque novit quorum acta refert, non est causa cur ei diffidamus; nec imo non verisimile videbitur Cromwell, annis 1656 aut 1657, cardinali Mazarin, quibusdam in America concessis, blandiri studuisse, ut Gallos in Europa auxiliantes provideret; constat quidem Jeremium Deschamps, seniorem du Rausset, anno 1657 a rege Ludovico XIV Testudini fuisse praefectum [2].

Du Rausset, teste Le Pers, in Petrocoriis ortus, Fontenay amico utebatur, et ab eo forte, in Galliam reverso, mox deinde mortuo, quasi haereditatem Testudinis reparandae acceperat. A rege legatus factus, du Rausset res quibus opus esset diligenter collegit; Galliam anno tantum 1659 reliquit, et, incertum an conscius cum Britannorum legato in Jamaïca, per totum Sancti Dominici littus congregatis assatoribus, Testudine potitus est. Sunt qui Elyazouard dicunt, ubi primum du Rausset approprinquare noverit, ab hac insula discessisse, Gallosque postero die appulisse; rumor etiam fuit, quanquam a documentis non confirmatur, du Rausset litteras et a Gallorum rege et a Britannorum legato in Jamaïca sibi expediendas curavisse, ut alterutris pro tempore uteretur; multa in hoc impli-

1. Dutertre, III, 127 sq. — Charlevoix (II, 28 sq.) errasse Dutertre conte
non autem firmissimis argumentis.

2. Cf. epistolam qua Societas Indorum Occidentalium, anno 1664, se T
dinem a du Rausset emisse profitetur. Col. Arch. C. G. — Charlevoix (II,
narrat se litterarum exemplar vidisse quibus du Rausset Testudini praefe
fuit, easque decembri 1656 esse datas, die non scripto. — Cf. Labat, V, 82.

cata confusaque sunt, hoc tamen dixerim Britannos Gallosque ea tempestate societatem saepius in Antiliis facere solitos, qui errones praedonesque Hispanis infensi sese conjungerent, nec ideo mirum du Rausset ad omnia se instruxisse. Quod superest, exploratum plane est Testudinem fuisse, anno 1659, jubente Gallorum rege, recuperatam, Elyazouard autem, si ab aliquo mandatum habuerit, non nisi a legato in Jamaïca procurationem suscepisse, et eam ob rem du Rausset, quum in Testudine insederit, palam sanxisse illam Gallorum regis jure futuram. Du Rausset primum, ejusque nepos, nomine Laplace, postea, Testudini praefuerunt ad annum 1663 aut 1664 usque; pauca de illa aetate nos non fugiunt, hoc tamen unum, a Le Pers scriptum [1], gravissimum esse et quid supra de coloniae incremento dictum sit confirmare videtur : gallica navis, ad praedandum ornata, captam Batavis negotiatoribus onerariam, nigris refertam, ad Testudinem, nigros venumdandi causa, duxit, illudque commercium, antea rarum, ab hoc adeo constans ordinatumque fuit ut, multis casis structis praebitisque servis, Galli coloni ad extricandum serendumque sese studiose dederent : tabacum plantarunt, quod iis temporibus maxime quaestuosum erat [2], et in Sancto Dominico machinas saccharo fabricando multas compararunt : inde enim domi sedentes incolae lucrum magnum sumebant; du Rausset, a consuetudine Fontenay discrepans, nec assatoribus favebat, nec praedonibus; epistola ad regem scripta, anno 1663, queritur errones istos in colonos hostium malitiam alere, hostesque significat una Britannos cum Hispanis [3]; du Rausset ergo priscis moribus parum indulgebat, agris vero colendis potius quam praedando curam adhibebat; quod ad praedones, Britanni cum Gallis societatem facere pergebant, et inimica forte alia societas alii, non altera natio alteri exsistebat; quod autem ad colonos in Jamaïca sedentes, infensa fuit a principio inter eos Gallosque Sancti Dominici aemulatio, ideoque du Rausset colonorum princeps magis quam praedonum dux fuisse videtur [4].

Ille privatis civibus in Testudine commercii faciendi arbitrium libenter ademisset, ut de negotiis jam profecto magnis ipse concessa facultate lucri aliquid sumeret : hac quondam ratione Levasseur dives erat factus. Du Rausset autem tempus defuit, ut pecuniam quireret; at quas Parisios epistolas miserat multi sane cognove-

P. 83. — Cf. Charlevoix, II, 35.
Cf. Labat, IV, 535.
Col. Arch. H.
Cf. Dutertre, III, 138.

rant, Testudinemque et Sancti Dominici littus Colbert adeo aestimanda reputabat, ut a nova Indorum Occidentalium societate accuratius exercenda praescriberet; du Rausset autem haud dubie ille minister non sensit idoneum esse ut a societate legatus crearetur; eum enim aut nimiam libertatem in Testudine fuisse adeptum suspicabatur, aut commercii cum peregrinis faciendi reum, quod inprimis odiosum habebat; aliquem igitur in locum ejus sufficere decrevit : occidente anno 1664, incertum quamobrem, du Rausset in Gallia redux erat, ejusque nepos, Laplace, Testudini praeerat interim. Eodem anno, die novembris 15, du Rausset Testudinem Societati Indorum Occidentalium venum dabat [1]; qui in carcere dicto *la Bastille* tunc custodiebatur, ut societati otium foret in vices ejus legatum novum majore industria conquirendi [2]; nec vero cuiquam damnum emersit; compromissum enim est du Rausset compensationem fore sexdecim milia librarum, eumque Le Pers refert, in Gallia omnibus quae ita accepisset amissis, ad Testudinem rursus venisse, et successori d'Ogeron, quamdiu vixerit, esse famulatum [3].

Bertrand d'Ogeron, senior de la Bouere in Andegavia, honesto loco ortus erat; in publicis navibus primum meritus, mox negotiis inter colonias faciendis studuerat; non illi profuit quod magni foenoris particeps foret in societate quae ad Continentis Americae commercium esset constituta [4]; ea enim multum perdidit; coloniam in Martinica non secundius posuit; quum autem gratiosus esset, popularisque aliquid haberet, multos sibi in hac insula congregavit, quos postea in Sanctum Dominicum, futuros assatores, duxit. Frustra, copias reparandi causa, negotiatores imitari conatus est, Gallos aut Batavos, qui errones vino, aqua ardenti, obligatisque suppeditabant; a sociis tamen dolo delusus, ab affinibus etiam improbatus, omnia aequo animo tulit, et, quum Indorum Occidentalium Societas condita est, certa sede recens in assatorum vico dicto Parvo Goave posita, res jam refovere coeperat [5]. Ibidem, februario 1665, epistolam a rege accepit, qua Testudini et littori Sancti Dominici praeficiebatur.

Ubi primum, aestate anni 1664, ad Parvum Goave advenerat, d'Ogeron regi scripserat quam utile censeret Hispanos a Sancto Dominico expelli; quos, anno 1663 Gallorum praesidia expugnare

1. Col. Arch. C. G.
2. Labat, V, 82.
3. P. 86.
4. *Compagnie d'Ouanatigo.*
5. Dutertre, III, 139 sq.

in vanum conatos, cum sexcentis assatoribus tantum, sed militibus eximiis « et plus quam alii mille valentibus » devincere facillimum existimabat [1]. Fides est Colbert, dum societatem Indorum Occidentalium componebat, de his a d'Ogeron excogitatis audivisse, et, auctoribus amicis, praecipue Clodoré, in Martinica legato, ipsum d'Ogeron legatum creavisse [2]. Quum ille regis litteras, anno 1665, accepit, Parvus Goave multum jam increverat : inde incolae cum Jamaïca negotiari inceperant, sed quum legatus ejus insulae, collega d'Ogeron non amico usus, eum etiam paucos dies in carcere detinuisset, fuit ab hoc commercio cessatum, et tantum abhinc d'Ogeron odium in Britannos habuit quantam prius propensam ad eos voluntatem. Nihilo postea nisi Sancto Dominico consuluit : navem eum Dutertre refert possessisse, quam sine intermissione ulla in Galliam mittebat et sodalibus aut obligatis oneratam revocabat; quod colonis magno auxilio fuit, migrantibus ad Jamaïcam assatoribus multis quum ab Hispanis vexarentur et ferae jam deficerent, paucis quidem sese praedonum vitae dedentibus; illud igitur notandum videtur d'Ogeron, et priusquam a rege legatus institueretur, colendis agris ponendisque sedibus certis operam dedisse.

Acceptum omnibus d'Ogeron, Galli Parvum Goave incolentes a rege fuisse illustratum alacriter rescierunt. Testudinem vero occupari supererat, cui Laplace, du Rausset nepos, ab avunculo praefectus manebat. Omnia d'Ogeron, jucunda indole praeditus, expedivit; societas Indorum evicto Laplace pecunia damnum solvit [3], et, anno 1665, die junii sexta, unum d'Ogeron Galli omnes in Testudine viventes regis legatum confitebantur; quorum ille multos jam amicos habebat, emporio nuper in Portu Margot condito, quod fere Testudini obsistit. Erat ea tempestas qua praedones ultima audebant, et intra Antiliacum mare Hispanos negotiantes prorsus morabantur; duces, maximam famam adepti, inter quos Olonensis, Michael Cantaber, Morgan, socios plurimos tum ex Europa, tum ex Antiliis accipiebant. Operae nunc pretium videtur ut explorare quomodo isti praedones res egerint, assatoribus incolisque usi sint, et quid d'Ogeron, Testudine potitus, cum his tractandum senserit, undique collectis, nemini libenter emancipatis, multum vero viritim animo industriaque pollentibus.

1. Col. Arch. H. — Cf. Charlevoix, II, 49.
2. Dutertre, III, 148.
3. *Cent pistoles*. Col. Arch. C. G.

CAPUT SECUNDUM

DE PRAEDONIBUS, DONEC SUI JURIS FUERUNT, ET D'OGERON TESTUDINI PRAEFECTO

Hoc apud Hispanos institutum erat, negotiandi cum coloniis facultatem nulli peregrino permitti; quod autem ne tantum mortua lex foret, classibus opus fuisset, quae littora perpetuo inspectarent et hostes magis atque magis audaces lacesserent; carebant autem bellicis navibus Hispani, eademque semper disciplina utebantur, quanquam eos, ineunte saeculo septimo decimo, multorum aemulatione in Antiliis negotiandi navigandique modum mutare expedierat : uni in Hispania tota civitati Italicae naves ad colonias ornare concedebatur, et quicumque, civis aut peregrinus, illicite mercaturas fecerat, crimine capitali vel latomiis sese praestabat obnoxium [1]. Binae classes in annos singulos ex Hispania colonias publice petebant, altera Cubam Mexicumque, altera Maracaïbo, Carthaginem Novam et mediam Americam; intra Pacificum mare, alterae binae e Panama insulas Philippinas provinciasque Chilium Peruviumque suppeditabant; quae, plerumque viginti navibus accuratius apparatis constitutae, ad colonias vehebant farinas, lintea, variaque fabricata; eas deinde rectores saccharo, tabaco, gemmis praecipue metallisque oneratas et, ut rarius iter conficiebant, omnino exstructas et valde pretiosas in Hispaniam reducebant; per isthmum in America medium, muli ad hoc ipsum aliti, via trita inter Portum Bellum, in Mexicano sinu, et Panama, in littore Pacifici maris, quaeque naves vexerant transportabant. Classes non nisi paucis portibus appellebant, et orariis navibus quae a metropoli mitterentur inde dividi aut quae a coloniis praeberentur ibi colligi consuetudo erat; orarias negotiatores nonnulli in urbibus Lima, Mexico, Havana, Carthagine Nova instruebant [2].

Hac agere ratione, nullum intra Pacificum mare periculum erat, quum vix de illa Europaei hostes cum Hispanis contenderent : tuti enim galiones, ad medium usque saeculum octavum decimum coı

1. Cf. Œxmelin, III, 8.
2. *Id.*, II, 1; III, 8. — Charlevoix, II, 57, 67, 71, 74, 98. — Cf. Leroy-Beaulie *Colonisation des peuples modernes*, cap. I.

tante cursu ad Philippinas vela dederunt. Quod autem ad Antilias spectat, res jam medio saeculo septimo decimo ita erant ut obtrectationes frequentius intercederent; colonias enim Galli, Batavi Britannique ibi posuerant, quae, dum constituebantur et nondum Hispanis ipsae multo detrimento erant, quocumque tamen errones mittebant, ad omnia perpetranda paratos ut victum sibi quaererent; ii ad assatores primum confugerunt, mox autem, ab Hispanis vexati, praedones, gallice *flibustiers* [1], facti sunt; eo ipso tempore quo Hispani invisos sese maxime assatoribus faciebant, erronum agmen in Antiliis in dies adolescebat.

E Britannia, quaedam civitatum purgamenta in insulas ex ratione deportabantur; imperante Cromwell, Hiberni Scotique permulti eodem exsilio mulctati sunt, quod novae reipublicae non faverent; paulo postea, rex Carolus secundus legatos creavit qui leges componerent de mendicis et vappis in Americam publicorum redemptorum ministerio transferendis[2]. Qui, quum dominis aegre famularentur, fuga salutem petebant, et navem si quam deprehensam haberent, ad praedandum ornabant. Adde quod ea lege, quae *Acte de Navigation* dicitur, difficilius in colonias frumentum ceterique commeatus supportabantur, ut in Virginia coloni quaeque e Britannia veherentur, majoris pretii emere, quaeque autem ab ipsis Britanni negotiatores emerent, vili pretio vendere cogerentur [3]; erronibus ideo coloni fautores erant, qui cum Hispanis furtim commercium agentes, varia suppeditare valebant. Quod ad Gallos attinet, non de legibus idem dixerim, sed distractione civium, qui insulas incolebant, multi quoque ad erronum vitam compellebantur : in Sancto Christophoro Poincy nimia libidine plerosque sibi infestos praestitit; fuerunt postea, in eadem insula, pertinaces inter Britannos Gallosque discordiae. In Martinica, invitis tum legato Duparquet, tum ejus vidua, Normanni cum Parisiis quotidie decertabant; imo in littore Sancti Dominici Levasseur, quum ipse paene exsul foret, ita superbe imperabat ut nonnullos a se removeret [4].

Hispani, eversis primum venatorum casulis, feris deinde stratis, assatores praedonesque audaciores fecerunt nedum delerent; crudelitatis enim invidiam subibant quum captis, majorum more quos *conquistadores* dicimus, asperrime uterentur : quinquaginta viri, si quem assatorum dormientem sacco involutum deprehendebant,

. Hoc a Britannorum lingua, *freebooter*.
. Œxmelin, I, 13. — *The Carolina Pirates,* 10 sq.
. Winsor, *Hist. of America*, III, 150.
. Dutertre, *Hist. Ant.*, passim.

imparatum caeco vulnere percutiebant [1]. Montbars, praedonum ducem, qui cognomen *Exterminatoris* accepit, in Hispanos bellum inexpiabile instituisse dicunt quod apud Las Casas legisset quae ad domandos Americanos immania acta essent [2]. Ideoque objicientibus direptas civitates et vim saepius illatam, praedones respondere solebant sese non nisi vices reddere et in Hispanos eodem modo saevire quo in ipsorum consortes Hispani saevirent [3].

Ipsum Antiliacum mare ad piraticam errones invitare videtur, quum insulae multos parvis navibus receptus praebeant, et per saltus interiores refugium appellentibus pateat; ibi facilius emporia erat defendere, unde naves ad praedandum omnibus armamentis ornatae procederent; quorum Testudo Gallis maximum exstitit, Jamaïca autem Britannis; pauci praedones incertis itineribus per Atlanticum, ad Africam usque navigaverunt, et quosdam accepimus Acadiae piscatorum vicos haud semel diripuisse [4]. In Hispanos vero plerumque infensi erant, quorum pravissimam commercii rationem noverant; nec apud eos quidquam invadentium temeritati non favebat; hoc epistolis conficias, quos ab archiepiscopo Sancti Dominici scriptas, a praedonibus interceptas, Testudinis legatus ad regem misit [5] : Hispanos qui coloniis praesunt ille sacerdos refert omnibus praestare confusione, corruptela imperitiaque; eorum provincias piratas facilius adire vel vastare permitti, ut ipse Deus praedonum auxilio poenas pro plurimis facinoribus expetere videatur. Ne quidem objiciatur praedones contra leges agere : nemini, saeculo septimo decimo, non honestum probabatur mercatorias naves ad praedandum ornari [6], dum bellum vigebat; nec verbis abutetur, si quis bellum intra Antiliacum mare quasi perpetuum inter Hispanos ceterosque Europaeos esse asseverabit. Hoc summum constat quod saepius praedones in Antiliis sine litteris vela dederunt; quas ut obtinerent aliis otium, aliis voluntas defuit; adeo autem isti res ad utilitatem omnium gerere aestimabantur, ut eos inter legatos optimos fuisse profiteamur, qui praedonibus secundius usi sint.

Initium armorum errones tenuiter faciebant : pauci consortes ligneo naviculo ex industria fabricato, septentrionale littus Cubae explorabant, dum piscatoria cymba occurreret : quum saepius ex-

1. Dutertre, III, 142.
2. Œxmelin, IV, 6.
3. Le Pers, 89.
4. Cf. infra, cap. III, et Henri Lorin, *le Comte de Frontenac* (Paris, 1895 p. 383.
5. Illæ epistolæ in Col. Arch. C. G. servantur. Cf. infra, cap. IV.
6. Ea lex non nisi anno 1856 abrogata est (Congrès de Paris).

spectatione longa suspensi fame laborabant, ubi primum occasio favebat in piscatores impetu intolerabili irruebant; occupata cymba, nautisque sine damno corporis in littore expositis, navem majorem, quam expugnarent, quaerebant; nec mora : certis enim itineribus certoque tempore negotiatores commeatus mittebant. Cito piratae, oneraria potiti, quasi suae artis instrumento, utilia operi expediebant, id est navem ad praedandum accommodabant. Ea jam fere parata, nomina faciebant quae *chasse-partie* sive *charte-partie* dicebantur; dux, inter consortes electus et proximae navigationi praepositus, formam contractui dabat, omnesque assentientes subsignabant. Œxmelin, qui particeps praedae diutius navigavit, quae fuerint his pactis verba solennia refert et quibus speciatim Morgan ejusque sodales usi sint, quum civitatem Panama aggredi conjurarent [1] : ex disciplina socius quisque paria sortitur; solent autem quidam aliquid amplius consequi et, verbi gratia, navis rector illiusque legati medicive; praemia vulneratis indicunt, iisque qui insigni audacia animove in acie excelluerunt.

Hoc fuisse inter quosdam anno 1688 pactum authentica tabula [2] accepimus : gubernatori, nomine Charpin, quia illius navis est et ipse nautas supplevit, sortes decem obvenient; navigia quaecumque extra tormentorum jactum socii ceperint, in commune dividendum conferentur : unde videtur iis quae tormentis aut per transilientes ex propinquo subruerentur gubernatoris portionem accrescendam. Gemmae, ornatus, aurum et argentum signatum fabricatumve in praedam dividendam injicientur; si quis socius debilitatus evadit, praemium habebit data optione nummos [3] sexcentos aut nigros sex; qui captam navem primus significaverit nummos centum aut, si ea major fuerit, partes duas; si quis fuerit ignavus, in vanum navigaverit; si quis praeda falso declarata fidem violaverit, primo tempore solus in terram exponetur. Hispani si quot, in praelio vulnerati, nondum finita militia, releventur, hoc primum de pecunia tota excipietur, quo medicus copiam habeat per menses tres curationem admovendi, scilicet nummus pro singulis in diem curatis. Navigantibus medicis centum et quadraginta nummi solventur et quaeque eorum operi utilia in captis navibus inveniantur, dum non ex argento constent. Hoc denique consortes paciscuntur, bel-[illegible] civitati Surinam cum navigio nomine *Sainte-Anne* tollendum,

[illegible] II, 1, et III, 8.
[illegible]. Col. Arch. H.
[illegible]. Gallice *pièce de huit*; qui nummus argenteus idem circa valebat ac libræ tres [illegible]veneau de Lussan, p. 257).

gubernatore Charpin et pro nautis monitore Matthaeo Desmarets subsignantibus. Ex quo patet praedones quam minutissime conditiones conscribere; quae pacta quum valde legitima ab omnibus probarentur, isti, ut primum in Sancto Dominico tabelliones consederunt, in eorum tabernis res suas agitare compositaque subsignare assueverunt; in pacto quodam ad nos usque servato, hoc dilucide notatum legeris : factum anno 1709, die 10 mensis octobris, *inspectante tabellione* quem rex vico dicto Parvo Goave destinavit [1].

Hoc communi pacto firmato, bini inter se altera subsignabant, unde apparet ab assatoribus, primis in Sancto Dominico incolis, praedones multa mutuatos esse : haec pacta privata Œxmelin [2] ait chirographaria fuisse et ad testamenti modum confecta : bini, qui *nautae* dicuntur, eo fœdere juncti mutuum auxilium inter se spondent; morienti alteri alter succedit, militiam detrectanti seipsum subsistit, praedonibusque constat, legum publicarum imperium aspernantibus, sanctam semper fuisse pactorum inter se subsignatorum fidem : quum sese invicem cognoscerent, proderat omnibus nil dolo confectum admitti, ut concordiam omnino necessariam tuerentur.

Firmatis pactis praedones abscedunt, eorumque direptionibus patent quaeque, insulas littorave, Hispani possideant, ab Orenoci fluminis ore usque ad Mexicum; portus paucos notabis, quibus non appulerint, illiciter negociandi saepiusque praedandi causa; multos menses intra Antiliacum mare versantibus vita non commodior est : plerumque parvis navigiis congesti, penuria cibi crebro laborant; commeatibus profecto sese prius munire solent, quam in Hispanorum vicos palabundi progrediantur, quibusdam autem aut cibi comparandi otium defuit, aut inter navigationem rei frumentariae inopia supervenit, navi nulla, quam praedari possent, occurrente; hinc parcius agentes, coenula tantum quotidie corpus curant; et secunda fortuna, et adversa, cuncta justis partibus aequare solent, ut legem eamdem rector navis coquusque patiantur : si quis melioris aliquid in catillo arripuerit, cuivis uni licet hanc portionem usurpare, suamque retribuere. Praedones, quanquam Deum haud castissime colunt, precibus coenas ineunt et navem expugnaturos se commendant : catholici *Magnificat* et *Miserere* recitant, protestati psalmos aut quaedam a scripturis excerpta; nunquam inter praedones pro religionibus suis decertatur.

Ut primum navem per altum ferri e specula signum datur, prae- dones, tormentis fistulisque comparatis, hostem exagitant; raro even

1. Col. Arch. H.
2. II, 1.

ut, capessendis impares, finem sequendi faciant, quippe qui captas naves non nisi agili instrumento armatas sibi servent ceterasque venumdent. Captivum navigium, dum operae pretium sit, ad Testudinem aut Jamaïcam vehitur; parum oneratum armis spoliant et quibuscumque pretiosis; deinde, portu suo potiti, solutis quae classium praetor praecipiat tributis, iisque praemiis quae cuique in acie optimo aut vulneribus maximis afflicto stipulata sint, praedam partiuntur; jurejurando unusquisque primum firmat se nihil publicum detraxisse, tum quaecumque non nummi sint venduntur ut pecuniam e rebus captis redigant, ideoque nummi tantum dividendi supersint. Neminem fugit negociatores Testudinem celebrare assuetos, quum eo modo coria, rara materia aut *cacao* sub praecone subjicerentur, haud modeste lucrari potuisse; praedonum enim, dum nummorum copia gauderent, non referebat quanti empta foret. In terram egressi, nautae piraticam repudiabant, donec pecunia tota devoraretur; nec mora, ait Œxmelin, quum quotidie aleae, epularum sumptibus muliebribusque illecebris indulgeant; quibus fortuna citis vicibus tum secunda erat tum aspera : Britannus quidam, post finitam excursionem mille quingentos nummos sortitus, ea die ipsa qua redux fuerat quingentos cum meretrice effudit et paulo post sese in tres annos obligavit, quod quadraginta *shellings* cauponi deberet. Contigit quondam ut, rebus secundis, praedones priusquam Testudini appellerent, causa voluptariae peregrinationis ad Honduras littus vela darent, quum ibi nossent mulieres indigenas esse ad hospitium promptissimas. Praedones, ut aleones exsistunt, navigantes suam sortem nondum acceptam, vix in terram egressi quaeque præmia, arma, vestesque habeant, assidue ludunt; fuit qui, cognomine *Vent-en-panne*, alea prosperiore in insula Barbada, de quodam Judaeo mille trecentos nummos, centum milia pondo sacchari, in navem jam profectura onerata, domum saccharo fabricando accommodatam, sexagintaque servos lucratus, adversario jam aliena pecunia perstante, mox quidquid erat adeptus perdidit necnon quaecumque prius propria haberet, adeo ut a Judaeo molliter incedente vestem et nummos aliquot accipere cogeretur quibus ad Testudinem rediret [1].

Errat profecto si quis assatoribus praedones praestitisse temperantia existimet; praedonibus autem ipsi assatores sese honestiores adeo ...ectabant, ut, iis auctoribus, hanc fabellam Le Pers referat : Prae...nes aliquot, Paradisum illata vi ingressos, Sanctus Petrus quum ...stra diutius expellere tentasset, hoc tandem artificio semovit : ...avem, ait. — Ubi maris? illi. — Adversam nobis. — Agedum ! »,

Hæc pleraque ab Œxmelin, passim.

tumultuosique se foras ejiciunt. Nulli praedoni postea Petrus Paradisi portas aperuit[1]. Aut mori aut locupletari, oblectari interea, ea erat praedonum sententia; qui, ut scribit d'Ogeron ad ministrum, libidinose faciebant, vita flagitiis dedita, nec cujuscumque imperium patiebantur[2]. Eos tamen coloni Sancti Dominici, quanquam minimi aestimatos, necessarios censebant, qui divites quaeque possiderent vilissimis pretiis venderent, inopes autem labori suo non parcerent. Ita Hispanorum rebus opimis a praedonibus interceptis pauci negociatores magnas sibi pecunias faciebant, ipsi autem praedones minimum de spoliis sumptis lucrum adhibebant; quum vero piraticam subinde, amplius comissantes, remitterent, hoc contentis plerisque nihil desiderii interveniebat.

Legati, ambo Gallus Britannusque, mox intellexerunt quantum a praedonibus suae provinciae possent emolumenti capere, iisque ideo litteras dederunt, quibus praedatoriae naves ornarentur : quum per saeculum XVII[m] fere totum, Hispania tum Britannis Batavisque, tum Gallis ac Lusitanis infensa fuerit, nullus paene annus elapsus est, quo praedones in Antiliis legum beneficio carerent. Imo praedari necessarium multis videbatur, quum Hispani in Cuba aut in Florida viventes colonias a Britannis in America positas assiduo delere meditarentur et non nisi audacium piratarum munere Carolinam ab invadentium injuriis immunem fieri praestaret[3]. Eadem sentiebat et d'Ogeron, qui, praedonum defensor haud acrior, multos tamen litteris instruendos curavit quas, si pacem inter Hispanos Gallosque restitutam esse audiret, in nomine Lusitanorum regis subsignabat[4] : quasdam habemus, datas anno 1669, die mensis julii 28, domino Francisco Trebutori praedatoriae navis rectori, « qui Hispanos, Gallorum Regis hostes legitimos, insequatur et cujusque captivi navigii binos inter nautarum principes ad Testudinem vehat »[5]. Erat eo tempore pax in Europa reparata, nec opinari possis ictum jam quatuordecimum mensem Aquis Magnis foedus in Antiliis non notum fuisse, quum trans Atlanticum frequentius communicaretur. Unde suspicor colonos Antiliarum rebus in Europa gestis parum consulere; porro praedones, quum de regibus intra bellum bene meriti essent, restituendae quieti non assentiebant[6], quod pax erat in Europa iterum inita. Hispanorum igitur coloniae venantibus praedantibusque semper

1. Le Pers, 78.
2. Epist. 1671. Col. Arch. C. G.
3. *The Carolina Pirates*, p. 14.
4. Œxmelin, I, 5. — Epist. d'Ogeron, 1666-67. Col. Arch. H.
5. Col. Arch. C. G.
6. *The Carolina Pirates*, loc. cit.

eadem ratione patebant, ubi omnia licita erant, et audacissimus quisque gemmas nummosque adeo frequentes inveniebat, ut a negotiatoribus Europæis, et monopolio concesso acerbissimis, necessaria sibi facilius emeret.

Praedones pauci primum in Antiliis versati sunt, imperante Richelieu. Princeps in ea re Petrus quidam fuit a Dieppe ortus, qui Magnus est cognominatus; qui navigii minimi rector, quatuor tormentis et viginti octo nautis muniti, navem Hispanorum praetoriam, amotis sociis errantem, in littore occidentali Sancti Dominici deprehendit, quinquaginta tormentis ornatam, et commeatibus frumentoque amplius oneratam; rebus ita secunde gestis, Magnus cum nave captiva Dieppe petiit ubi domicilium sibi certum constituit, et rem familiarem, tantam pecuniam adeptus, administrandam curavit [1].

Eum autem multi, de facinoribus istis certiores facti, imitari studuerunt, ideoque et quibus supra diximus causis, piratica in Antiliis, ad medium usque saeculum XVII^{m} increbruit; nonnulli navium rectores splendorem assecuti sunt : Petrus Franc, a Dunkerque ortus, ab Hispanis captus et in metallum damnatus, postea e Carthagine Nova in Hispaniam importatus, fugam explicuit et in insulas redux quaeque perdiderat, ultus injurias, foenore magno recuperavit. Barthelemy Lusitanus, in Mexico captivus, pari solertia evasit, navi onenaria, noctu deprehensa in medio portu Campêche, Cubam petivit, maximasque deinde divitias, praedando congestas, ita effudit ut paene fame moreretur. Alexandrum quoque *Bras de Fer* memorant una eademque navi *Phoenice* semper usum, cui Œxmelin medicus consciusque adstitit. Petrum Roc, a Groningue, rectorem eximium animosumque in militia, vappam autem truculentum, socii idem esurientem diligebant ac formidabant vinolentum, quippe qui gladio educto deambulare assuevisset nec contradicentes medios caedere aut excusso capite prosternere dubitaret. Michael Cantabrum [2] fama erat ipsius Portus Belli tormentis ex propinquo adversum, navem magnam decies centenis milium nummorum oneratam arripuisse [3].

Montbars, honestiore loco in Gallia meridionali ortus, a puero meditatus est ab Hispanis poenas repetere pro sceleribus quae in Indos cumulavissent; qui rapidus in consiliis, quum omnibus excelsa statura, oculorum acie, opacis superciliis imponeret, non ad quaedam fortunam, ut praedones plerique solebant, procedebat : ejus animo erat Hispanos quam plurimos occidere, nullum autem

1. Œxmelin, II, 1.
2. Eum a Sancto Joanne *de Luz* originem duxisse E. Ducéré arbitratur.
3. Œxmelin, II. 1-3 et 6.

unquam interfecit qui non armis obsisteret; in littore Sancti Dominici dux ab assatoribus et indigenis electus, *quinquagintaviros* extenuaverat; postea, praedatoriae navis rector, multos in Hispanorum coloniis portus diripuit, jam in hostes exagitatus quum avunculus, a quo ad praedandum condoctus erat, in acie infensus Hispanis procubuisset. De Montbars vita moribusque certa desideramus quum vix Œxmelin de illo pauca et ex audito tantum scripta referat [1].

Celebratissimus autem inter errones Olonensis [2] exstitit, cujus etiam nomen verum nos fugit, fama autem et recenti facinore aucta, splendidissima in Antiliis lucebat, quum d'Ogeron ab Indorum Occidentalium societate legatus destinatus est. Primum in insulis obligatus Olonensis, ubi emeritus est, assatorum disciplinae sese dicavit; mox ab Hispanis captus, cum servis nonnullis accuratius allectis, ad Testudinem confugit et piscatorias cymbas diripere coepit; tum legatus in urbe Havana in eum mittit navem citam, cum tormentis decem nautisque octoginta; hac Olonensis in cujusdam fluminis ore deprehensa potitur, et, quum nigrum in ea inventum audivisset ab Hispanis fuisse abductum ut praedones, quos jam captos dictitarent, occideret, in reliquorum terrorem nautas jussit singulos in tabulatum ascendere quos, ut quisque emergebat, sua manu detruncabat; uni parcitum est qui ad legatum in Havana missus nuntiaret Hispanos eadem accepisse quae Gallis promisissent [3].

In Testudinem redux, citius Olonensis multos secum congregavit, unaque cum socio Michael Cantabro, magna composuit quae primum summa ope tacere voluit. Ambo cum quadringentis aut quingentis praedonibus ad Curaçao vela dederunt; vix ab occidentali parte Sancti Dominici discedebant, quum naves duas arripuerunt, alteram cacao oneratam, alteram armis et omnium rerum ad bellum apparatu; illam in Testudinem missam d'Ogeron in suis cellis exinaniendam curavit, unde patet legatum cum erronum principibus esse conscium, et profecto Cantabrum Olonensemque procurationibus legitimis fuisse mandatos; ipse d'Ogeron lucri particeps erat, sive procurationes venum dedisset sive naves ornatas rectoribus locasset. Ea erat Cantabri Olonensisque fama ut in navem nondum omnino exoneratam, voluntarii multi conscenderent, divitias citius capessendi studio; quorum nonnulli, et verbi gratia duo d'Ogeron legati nepotes, e Gallia recens appulerant.

Quum undique socios in unum locum collegisset, Olonensis destina

1. IV, 6.
2. L'Olonnais.
3. Œxmelin, II, 4. — Le Pers (85 sq.), et ad ejus modum Charlevoix (II, 66 s Œxmelin tantum breviorem faciunt.

aperuit : Cantabrum dixit paulo antea in nave captiva inter Hispanos Gallos duos invenisse qui, deprehensi et bonis ad assem evoluti, hostibus famulari coacti essent; istos recuperatae libertatis memores sese Macaraïbo regionis peritos profiteri, quam diutius cum dominis incoluissent; inde duces hanc civitatem aggredi esse meditatos. Propositum nautae assentatione multa exceperunt pactumque fuit Cantabrum militibus in terra praefuturum, Olonensem in navibus, cum legatis Dupuis, ejus consorti, Mose Vauclin et Petro Ambiano[1].

Vadum quo septentrionali parte Macaraïbo stagnum ab alto mari sejungitur, parvum castellum, palis et tellure constructum tuebatur; cujus milites et strenuissimi, ferreis globis subruti, facilius ad deditionem subacti sunt; urbs ipsa hostis impetum non sustinuit; cives enim multi, ut primum tormentorum fragorem audierant, aurum, gemmas, commeatusque navigiis commiserant, et ad oppidum dictum Gibraltar in adversam stagni partem transierant, ut in vasta urbe nulli nisi inopes et vagi manerent. Quaedam tamen relicta erant, erronesque, per semestrium lautius comissati, horrea cellasque exhauserunt, quo suppeditati, Gibraltar expugnare statuerunt; nec expeditum, quum Hispani, spatio temporis incaute dato, moenia firmassent quae se impigre defensuros significabant : tormenta ita posuerant, ut praedones, ubicumque e navibus egrederentur, globis ferirent, eaque, si quis aggredi auderet, non erat petere, nisi per angustum aggerem voraginosumque. Obsessi, sexcenti numero, praedones triente minores irridebant et ab oppido, palustribus fere clauso, securi provocabant; nunquam enim cum insolita praedonum virtute res habuerant : qui, a ducibus accensi, in aggere, tormentorum globos aspernantes, irruunt; lacunas virgultorum fascibus ex improviso fabricatis aequant, et armis accincti progrediuntur, dum minimis fistulis cominus uti possint; multi vulnerati, procumbentes, commilitones ad melius agendum hortantur; impetum denique faciunt, nec Hispani, animis quasi terrore obstupentibus, tormentorum munimentum non deserunt, et primum ad vallum minus confugientes, mox pro vita rogant. Strenue autem erant praeliati, duces ad unum icti et, qui supererant, vulneribus inutiles; legatus civitatis Emeritæ[2], antea in bello apud Menapios[3] virtute insignitus, ubi hostem Gibraltar oppido instare audierat cum praesidiis advectus, ---isus jacebat; impugnantium centum, quarta pars copiarum, ceci-'unt, ut certamen illud inter atrocissima ordinari posse videatur. 'uperstites incolae multi, ubi thesauri solo abderentur significare

. Pierre le Picard.
. Mérida, abest paucis millibus a Gibraltar, intus ad libem.
. La guerre de Flandre.

jussi, muti supplicia passi sunt, et inter praedones brevi convenit carioris captum Gibraltar constitisse; incenso oppido, in Maracaïbo reversi ultum ierunt; cujus incolae, prout essent pacifici nec obsisterent, primum in praedonum naves quingentos boves adducere coacti sunt, tum intra dies octo se pactis magnisque sumptibus redimere, deinde templa diripi pati, « ut praedonibus sacellum in Testudine erigere liceret. » Res ablatae, aurum, gemmae, servi variaque ad quadringenta milia nummorum aestimata sunt; d'Ogeron tamen[1] singulos ducentos tantum accepisse refert, quod, et auctis virorum numeris, non centum milia nummorum explere valet : hoc igitur arbitrandum dixerim tributis legitimis, praemiis, diversisque pensationibus, et forte rapinis privatis, praedam communem dividendam fuisse in quartam contractam. Partes sociis in insula dicta *des Gonaïves*, in littore occidentali Sancti Dominici sortiti sunt et circa primam diem novembris, anno 1666, in Testudinem revertebantur.

Ex hac navigatione negotiatores quidam, et in primis d'Ogeron legatus, multum lucrati sunt : qui, emptis ab Olonensi nave et cacao quo primum onerata capta esset, eam ad Maracaïbo bellum ornaverat; reducem postea, cacao rursus imposito, in Galliam misit, unde Œxmelin refert plus quam centum et viginti milia librarum certam mercedem emersisse. Legatum illum idem ait coloniae ita consuluisse, ut, quodcumque haberet, in dubium ratione reipublicae devocaret, multisque etiam amissis, optimo cuique tamen assidue favere, vel sumptibus suis, ut incolae nulla re carerent[2]. Legatum d'Ogeron eximia indole eminuisse confitemur, eum tamen neminem fugiet, de multis bene meritum, et se ipsum eadem gratia adjuvisse, multoque minus praedones fortunae vicibus objectos beneficium ex actis facinoribus sumere, quam paucos securos legatos vel mercatores. Fuerunt inter consortes qui ea sentirent et in Galliam vehi vellent ut ad illorum exemplum vestes, vinum, aquam ardentem commilitonibus priscis venumdanda, nec vili pretio, reducerent : caupones ex praedonibus, mutato tantum nomine, facti sunt. Olonensis ipse, quum divitias e Maracaïbo congestas brevi tempore effudisset, rebus iterum incertis dubitabat an a praebitoribus fuisset expilatus.

Cui, dum haec involvebat, rector navis e Jamaïca venientis Testudinis portum ingressus, procurationem a Britannico legato firmatam et valde quaestuosam protulit : Olonensem ille pollicebatur se qu[illegible] in Britannia natum accepturum et mox bello piratico praefecturum

1. Epist. 1666-67. Col. Arch. H.
2. Œxmelin, II, 5.

Haud dubium erat multum in Jamaïca de Olonensis facinoribus esse auditum; d'Ogeron tamen, ut de isto nuntio certior factus est, ea Britannorum legatum non ultro proposuisse suspicatus, quaestionem instituit, perspexitque Olonensem, jam alieno aere demersum, nec quo se verteret habentem, a legato flagitasse, ut honores, quos prolatos affectaret, consequeretur et occasionem aucupari posset qua tutus deceptis creditoribus evaderet [1]. Olonensem profecto d'Ogeron suasit ut pecuniam aptius solveret, eum enim novimus, de legato in Jamaïca minime curantem, socios iterum ad bellum mediis Americae provinciis inferendum collegisse; coloni multi, ejus famam mirati, domicilium moverunt qui cum eo praedarentur; Olonensis autem facinora fini tunc proxima erant; quem quidem nonnullis vicis incensis, quum navem Hispanicam amisisset quae commeatus ad provinciam Guatemala vehebat, multi, navigationem non lucrosam fore existimantes, reliquerunt. Ipse, navi praetoria in caecis saxis perdita, cymbas cum paucis praedonibus fabricavit ut Testudinem parvis itineribus peterent; vix littori appellentes, ab insidentibus Indis capti, plerique, princeps Olonensis assati et comesi sunt; perpauci fugientes Testudinem difficilius attigerunt, nullam unquam saeviorem fortunam experti; quidam cum occurrentibus Britannis socii, isthmum transire conati ut civitates ad mare Pacificum positas diriperent [2], idem decepti sunt. Quos plerosque concidisse mox a superstitibus in Testudine rumor fuit, ideoque incolae sese prædonum vitae haud ita libenter dicaverunt, quum ejus tanta esse pericula, tam rara autem emolumenta exploratum foret.

D'Ogeron, ut notum habuit quanti Sanctus Dominicus valeret, hac insula tota Gallos potiri cupivit, Hispanosque igitur aut expellere, aut subdere : quod ut eveniret, Gallorum colonias primum firmari expediebat, id est praedones ad considendum induci : mortuo Olonensi, plerisque ejus consortibus bello misere absumptis, legatus ita apte disputavit, ut ad tempus ab omnibus probaretur; coloni autem, quum considere statuissent, mox portoriis tributisque vexati, propositum initum citius deponebant, Batavis ad libitum uti contendentes, si praedones deficerent, et Indorum societatis monopolium minime sanctum habentes.

Ab anno 1666, legatus condendis vicis agrisque colendis operam [de]derat, eodemque libello quo ministrum certum facit Olonensi [ap]ud Maracaïbo res prosperius successisse, ea refert quæ primum [s]e in Testudine tentaverit : munimentis quae Levasseur compara-

1. Hoc ab epist. laud. 1666-67 conficiam.
2. Œxmelin, II, 6.

verat in majus erectis, jam in eo esset, nisi militibus indigeret, ut sedentes in Sancto Dominico Hispanos expugnare conaretur; praedones publicis militibus auxilio esse possent, ad hostes prospectandos lacessendosque prorsus idonei. Unde d'Ogeron legatum novimus, nedum Testudinem praedonibus accommodaret, in animo volvere quo modo eos componere et ad utilitatem publicam deflectere possit [1]. Idem enim, quum Hispanos in Sancto Dominico Gallis parvo superiores esse moneretur, ad ministrum scribebat quanta esset debellandi facultas; de hoc autem, a Colbert profecto intellecto, rex parum curabat, quem urbes in Menapiorum regione obsessas ipso praesente expugnari magis delectabat [2]; ideoque d'Ogeron, sine subsidiis relictus, quod per se ipsum posset explicare valuit.

Colonorum numerum augere, ut Galli facilius belli sedem caperent, hoc primum erat in votis legati : familias ex Europa excivit mulieresque, quas incolis aut sedere suasis praedonibus collocaret; Œxmelin, qui Testudini ea tempestate appulit, multos refert a provinciis Andegavia Britanniaque ductos in insulam recens cum uxoribus puerisque venisse; legati igitur ea solertia fuerat, ut in Sanctum Dominicum migrantium copiam attraheret; fundos accedentibus pecuniamque aliquando credebat, et eum Charlevoix asseverat plures quam trecentos in annum suis sumptibus arcessivisse; jam anno 1671, duo buo milibus colonorum armis aptorum praeerat [3]. Neminem in coloniis condendis adeo brevi res feliciter gessisse accepimus.

Galli qui Portum Pacis incolebant, cum praedonibus licenter negotiari assuefacti, disciplinae ab Indorum societate moderatae repugnabant; primum, anno 1666, exordium : quibusdam societatis famulis impedientibus quin naves in urbe Flessingue oneratae onus in insula deponerent, incolae ad littus tumultuantur. « Ad me locuti — hoc a famulo, nomine Lemoine, scriptum est [4] — se legibus istis omnino non parere profitentur et mercaturam cum quibuscumque esse facturos, meque, trifurciferum, in mare projecturos, quod ut eluderem statim discessi. » D'Ogeron, auditis litigantibus, societatis famulos approbare noluit, ne exacerbati incolae in Jamaïcam catervatim confugerent, quod ad consilium sese propensiores praenuntiabant. Molliter igitur, ut assueverat, omnibus usus, peregrinos in insula primu negotiari passus est; incolas autem, hoc modo sibi devinctos, pa

1. Col. Arch. II.
2. Le Pers vehementer significat (p. 88) quid de ista agendi ratione cense
3. Œxmelin, I, 5. — Charlevoix, II, 65, 82, 98.
4. Col. Arch. II.

latim ad Indorum societatis arbitrium sese accommodaturum exspectabat; negotiatores simul qui pro societate mercaturam faciebant, cum incolis asperiores, anno 1666 hortabatur ut emolumentum minus sumerent, quam antea usitatum : esse enim qui, finita navigatione, Testudini appellere desinerent, quod summo detrimento coloniae esset [1]; jam annonae caritatem Olonensis excusabat, quum a legato in Jamaïca in Britannicam civitatem adscisci posceret [2].

Ea ratione d'Ogeron novimus per annos quatuor et Indorum societati serviisse, et incolarum commoditati caute consuluisse; praedones aiebat per mare semper vagari velle, invitos autem seipsum vinculis in Gallia fabricatis moraturum; hoc jocose de mulieribus intelligebat, quas navigantes a Dieppe frequenter importabant, et fertilissimo, ut Le Pers refert [3], quaestu venumdabant. Quarum plerisque anteacta objicere incuriosi praedones omittebant; iis qui sese, tropicum circulum transeuntes, intactos renasci declararent, uxores etiam erat fingere, ut primum Testudini appulissent, novam instaurasse pudicitiam; evenitque ut, maritis nequitiam severius castigantibus, multae sanctissimam in conjugio vitam degerent, imo nonnullae, virorum consortes, non in regendis agris tantum, sed in rebus bellicis famam sibi compararent; Le Pers earum unam anno 1714 vidisse narrat cui, tum natu grandi, ab omnibus semper honor erat redditus.

Interea d'Ogeron, quanquam augendae coloniae studebat, non de praedonibus curare spernebat : crebriores enim majori damno erant quam utilitati, prout rem rusticam deserere suaderent et Hispanos magis atque magis infensos incolis praestarent; paucis autem opus erat, qui hostes, duce legato, distringerent aut aggredientes indagarent; d'Ogeron cogitaverat nonnullos in Testudine praedonum principes congregare, qui juniores a Gallia collectos quasi magistri docerent nec in Hispanos praecipue, sed in Britannos instruerent, quos ad nimia incrementa propensos alacri animo a Jamaïca exegisset, multoque magis quam Hispanos esse formidandos censebat. Praedonum igitur rectoribus indulgebat, eorumque nullum procuratorem instituere dubitabat, dum naves captas ad Testudinem reducere polliceretur : praedones ita quadringentos socios habuit ad bellum in Hispanos Sancti Dominici inferendum : magno pago, ɔmine Sancto Jacobo [4], direpto, militibus singulis nummos quadrinːntos, eodem modo quo inter praedones solitum erat, partitus est,

. Epist. sept. 20. 1666. Col. Arch. C. G.
:. Ep. laud. d'Ogeron, 1666-67.
'. Le Pers, 87.
. Santiago.

et jam contra Floridam alia destinabat et contra Jamaïcam, « quum Britanni in hac regione nimium imperium usurpare viderentur [1]. »

Testudinem vero, ut in tempus majore disciplina ordinabatur, obstinati praedones non jam celebrabant; tum autem in Jamaïca naves libentius ornabant, et inter eorum duces, omnes ea tempestate Morgan praecelluit, qui Britannus ortus erat; quem Œxmelin secutus nobis quae sunt ab eo acta tradidit [2]. Morgan a senescente praedone, nomine Mansfeld, admodum dilectus, eum piraticae magistrum adeptus, mox ipse maximam famam obtinuit; quum in insulis vulgatum esset Morgan bellum contra Cubam comparare, septingenti errones ad eum brevi coierunt; quorum multi Galli duci futuro adeo confidebant, ut eum quemcumque in parendo caperantem interficere permitterent. Morgan primum Portum Principis in Cuba captum iit, pauca vero praedatus et jam nonnullis classem, quod fortuna insecunda videbatur, deserentibus, Portum Bellum petivit, maritimarum rerum receptaculum, quas Hispani inter Atlanticum Pacificumque transmittunt. Hunc a legato in Panama segnius defensum praedones invaserunt; Morgan, ut civitatem facilius expugnaret, captos monachos mulieresque cum scalis principes in moenia ascendere jusserat, ut hoc quasi vivo scuto tecti — nempe Hispani suis parcere studebant — impugnantes in urbem sine negotio ingrederentur. Ii, ampliore praeda graves, mox in Jamaïca reduces ab omnibus copiose accepti sunt, a cauponibus praecipue, qui de illis maximum lucrabantur (1668).

Anno postero, audacius etiam aliquid Morgan effecit : cum navibus quindecim et viris plus quam mille, Maracaïbo deprehensum ivit, vix post exscidium anni 1666 renascentem; civitate potiti, perdiu securi piratae praeda, vino luxuriaque sese largissime invitaverunt, donec navibus Alonsi d'Espinosa praetoris intra vadum se obsideri animadverterent, Hispanosque jactantes audirent omnes ad unum perituros esse : hostes vero impavidi aggrediuntur, navem praetoriam immissis fascibus incendunt, et inter stupentes evadunt. Quum autem maris saevitia errones magno labore conjuncti navigarent, contigit ut Gallorum praetori d'Estrées occurrerent, a quo suppeditati sunt. Non erant res tam secunde finitae, quam prius speratum erat, Morgan tamen fama major, fortuna, dum non immitem prorsus sentiebat, niti conatus, majus oppidum expugnandum cum multo exercitu decrevit, quo prospere confecto — nec anceps exitus illi videbatur — commilito quisque tantum sortiretur, quan

1. Le Pers, 88. — Charlevoix, II, 78 sq.
2. Haec est Œxmelin libri pars tertia, imo in quartam incedens.

tum inde quietus vivere posset; ipse ultimum sibi navigandum declarabat. Prius etiam quam destinata omnino aperuisset, triginta naves optimae virique duo milia et quingenti ad promontorium Tibron, locum indictum [1], convenerant. Ibi nomina facta sunt, et Panama deprehendendi consilium pronunciatum.

Hoc audacissimum, nempe, priusquam Panama adiretur in Pacifici littore posita, vallis in isthmo adversis primum potiri, deinde per ignotas regiones diutius progredi opus erat. Omnia tamen feliciter evenerunt : prædonum naves per rivum Chagres clausam viam irruperunt, pedites, expugnato Sancti Laurenti castello quod praesidium Panama tuebatur, magna cæde concurrentes ipsam civitatem ceperunt (anno 1670, mense januario); frustra Hispani equestribus procellis in prædones irruerant; frustra tauros stimulo efferatos in infensos immiserant. Errones in cellis immensum prædati sunt, quanquam, ut primum Morgan accedere auditum esset, quam plurima navibus ablata fuerant; vinum invenerunt, oleum, arida condimenta, farra, variosque commeatus, tum ferramenta metallis effodiendis apta, gemmas, ornamenta; pretiosas vestes incenderunt, quo facilius intextum aurum argentumque detraherent; captivos monachos ad divitissimum quemque civem miserunt, qui pactas redemptiones reportarent; quæ direpta sunt, nec de redemptionibus computatum, ad quadringenta milia librarum aestimatum fuit, nec omittendum Morgan, cum paucis consciis, manifestae interversionis fuisse reum. Qui, donec a militibus praedatum est, in civitate moratus est, captivam mulierem quam flagrantissime appetebat, in vanum mitigare studiosus; ea re ducem, et formidatum, sodales irridebant, eum honestiore cultu se vestire notantes et commodiores mores capessere; quum autem Morgan sese omnino respui novit, mulierem crudeliter haberi passus est, omniaque in omnes perpetrari : fuerunt profecto multi cives in Panama, qui pro delusa ducis cupidine paenas penderent.

Omnium domibus direptis incensisque, prædones ad proficiscendum armamenta composuerunt; mox, apud fluminis Chagres oras, res sortiti sunt; at unicuique multo minus obvenit quam speratum fuerat : Morgan enim ejusque conscii pretiosa sibi praecepta in tuto collocarant, et quum sodales inter se conjurantes fremerent, iis expedire visum est noctu abditeque cum navibus quatuor ad Jamaïcam ancoras solvere (anno 1670, mense martio). Morgan, prisci amoris oblitus, uxorem duxit filiam unius e principibus insulae; honores multos gessit, nec unquam postea piraticam expertus est;

1. In extremo littore occidentali Sancti Dominici.

a Carolo secundo eques creatus, vitam ita egit felix, dives, probatus a bonis viris et sua sorte contentus, ut quemvis constaret, dum pecunia floreat, ab omnibus semper spectatissimum laudari. Interea autem ejus sodales destituti, quum ab urgentibus Hispanis ad littus cogerentur, vela dederunt; contigit ut navigantibus Indi occurrerent, quorum hospitio instaurati, Testudini aut Jamaïcae ad extremum appulerunt. Œxmelin, Bataviсam navem ingressus, Europam petiit; posterum ad Sanctum Dominicum redux, medici apud praedatorias naves, ut antea sueverat, artem exercuit.

Magis valuit, ut praedones ad sedendum suaderentur Morgan insidiis egisse, quam d'Ogeron indociles adhortari; annos enim circa duodecim, paucissimi piraticae indulgent, errones autem juvat, qui Panama reversi inopia laborant animoque despondent, fundis vel exiguis frui posse, conjugemque ducere quamdam a Gallia vectam mulierem, quae sese insolentem efferre nequeat. Ii vero, intra mare Antiliacum diutius versati, leges ab Indorum societate decretas suopte ingenio abnuunt : non enim ad Europaeorum modum obsequentes facti sunt; anno igitur 1670, aestivo tempore, quum debilitati praedones piratica cedunt, seditio in omnibus Sancti Dominici vicis oritur; famuli societatis, deprehensi, vinculis onerati in batavicas naves projiciuntur, quas negotiari prohibere tentaverant; intervenientem d'Ogeron nummarium praevalentemque mancipitem conclamant, legatusque, impar sedando tumultui, ad de Baas scribit, praetorem in Antiliis, a quo certiore facto arcessat auxilia; navi publica una asseverat omnia comprimi posse. Legatus videtur, quum eo tempore praedones obrutos censeat, ideoque ipse majore potentia polleat, libentius quam hactenus usitatum, clare ad eos certumque loqui. De Baas, nil moratus, ad ministrum scripsit, et ille Gabarret praefecit, qui cum classe Antilias Sanctumque Dominicum inspectanda curaret; simul nuntium regis apud Batavos jussit senatum monere quid a Batavis civibus adversus Gallos ageretur; multi ergo, ipse denique minister internuntiique aestuabant, quod pauci errones, nullam legem pati assuefacti, monopolio inservire negabant, quo primum iis apparebat quantum libertatis a tutore legato regis sperare possent.

Gabarret destinata non omnino prospere confecit, quum, ab incolis in Testudine et Portu Principis probatus, vix ab urbe Leogane non expulsus sit; sed ibi etiam tumultuantes ita pavescebant ut, veniente paucos dies postea d'Ogeron et conjurationis auctore suspenso, ceteri de tota lite pactionem facerent : sublato societati monopolio, de omnibus quae aut importarentur aut exportarentur vicesimam sumendam stipulati sunt; rex rerum praeteritarum obli-

vionem decrevit, et posteriore mense martio, die 20, Testudinis praesbyterum incolarumque syndicum a d'Ogeron in Galliam antea missos et in carcerem urbis Namneti conjectos, solvi jubebat; paulo post (1674), abolita omnino societas est, et colonis liberius agere licitum [1].

Monitus a d'Ogeron, anno 1670, praetor de Baas consilium inierat copias in Sancto Dominico colligendi, ut bellum Batavis, quod proximum videbatur, compararet; quo bello indicto, Curaçao insulam de Baas deprehendere cogitavit nec ullos ad id aptiores esse censuit, quam Sancti Dominici praedones. Praetor ergo d'Ogeron jussit multos ex his congregatos ipsum ordinare et in insulam de Sancta Cruce dictam abducere. Qui, quanquam proposito parum favebat, ita diligenter concessit ut praedones tentati eum libentius secuturos esse profiterentur; vix autem Sanctum Dominicum reliquerant, quum adversis ventis in littus insulae Portus Rici, cum navi nomine *l'Ecueil* impacti sunt; pauci porro praedones in navigio dicto *la Petite Infante* cum de Baas convenerunt, qui, seu malis suasoribus usus, seu donis a Batavorum legato in Curaçao allectus, classis operam perdidit : quum Testudini redux appulit, d'Ogeron suosque periisse rumor erat, quum nihil de his jamdiu foret auditum (1673), et valde sollicitus de Baas ad Martinicam profectus est. Paulo post autem, mirantibus cunctis laetantibusque, d'Ogeron ad insulam accedebat : ab Hispanorum legato in Porto Rico detentus fuerat, cum trecentis delectis militibus eum secutis; cui legatus Hispanorum vituperationi verterat quod naves a Testudine discedentes nihil nisi piraticam agerent, ita ut eas semper capere fas esset; multa passi, nempe Hispani Portum Ricum incolentes omnibus saevitia praestabant, Galli denique de fuga conjurarant; paucis autem, inter quos d'Ogeron, res bene successit; in Testudinem reversi, relictorum non obliti sunt et navem ad eos eripiendos aut saltem redimendos d'Ogeron paravit; mox autem destitutam difficilius nautae restaurarunt, et ne sese ipsos Hispanis paene indefensos praeberent, ad Testudinem regredi coacti sunt; hostes quid imminuisset moniti, magis atque magis in detentos animadverterunt, ut plerique miserandum in modum obirent [2].

Atrocitate legati Hispanorum indignatus, d'Ogeron Galliam petiit qui regem ad opitulandos Sancti Dominici colonos diligentius agere uaderet: novum in peninsula Samana vicum conditum esse ostendit

1. De illa seditione, epist. d'Ogeron, Gabarret, de Baas. — Regis mandata, annis 1670-1672. Col. Arch. C. G. et H. — Cf. Le Pers, 88-90 et Charlevoix, II, 85, sq.
2. Epist. 1673, 1674. Col. Arch. — Le Pers, 90.

et Gallos in tota insula, dum iis parcius subveniretur, mox peregrinos omnes superare posse. D'Ogeron autem, anno 1676, mense martio, interiit, priusquam ministrum interviseret : Pouançay nepotem, jampridem propositorum conscium, relinquebat, qui ipsius ingenio succederet [1]. — Intra decem annos, in Testudine, res valde mutatae erant : anno 1668 praedones Britanni Morgan se consortes faciebant ne ad insidendum cogerentur; ab isto duce decepti, multi ad nova tentanda excitati erant. Eos seditione anni 1670 ultimum aestuare videtur, una cum incolis, quos captis mercibus locupletabant. Anno 1673, in classi publica, quasi fere nautae ordinati essent, mereri adeo dociles annuunt, ut consuetum *charte-partie* pactum, contra Curaçao profecturos, subsignandum omittant. Jam de liberorum praedonum egregiis facinoribus hactenus; superest ut, occidente saeculo, nonnullos etiam in annos postea, pauci praedones intra Antiliacum mare navigantes non jam sine lege vadant, sed meliore disciplina ducti, et ob id ipsum majora ad omnium utilitatem conferre valeant.

CAPUT TERTIUM

PRAEDONES AD SEDENDUM, IMPERANTIBUS POUANÇAY ET CUSSY, SUADENTUR.

Pouançay, d'Ogeron nepos, litteras ab anno 1667 erat a rege consecutus, quibus Testudini littorique Sancti Dominici praeficiebatur, dum avunculus aberat; eo autem in Gallia mense martio anni 1676 morbo laborante quo mox erat periturus, Pouançay legati nomen accepit [2]; rex ab eo renovari voluit quod contra Curaçao, anno 1673, male gestum erat; d'Estrées iterum omnia imperia administranda suscipere, navesque publicas viginti in Antilias ducere jussus est, Pouançay autem eum bis sexcentis praedonibus in insula Sancti Christophori corroborare; nescientem primo legatum quo mitteretur, denique d'Estrées duci occurrentem epistolae certiorem fecerunt vires in Curaçao esse comparatas. Quod ut pros-

1. Regis mandata ad Pouançay. Col. Arch. C. G.
2. Col. Arch. C. G.

perius eveniret, multa de praedonibus exspectanda erant, omniaque per eos adiri oportebat qui diutius per Antiliacum mare versati erant : hoc omisso d'Estrées, quum erronum principum consilia sequi odisset, navium nonnullis in faucibus portus Curaçao suppressis, nihil secunde operatus est; Batavi autem, Sanctum Dominicum militibus inopem esse audientes, vicum Parvum Goave ingressi sunt ubi naves onerarias interceperunt, quarum una, tabaco referta, Ducasse negotiatoris erat, postea insulae praefecti [1]. Iterum praedones cum regiis militibus conjungi frustra tentatum erat, primis autem non insimulandis; ita iterum d'Estrées res gesserat ut quam ex Batavico bello famam adeptus sit, unum in Tabago fausta consecutus, immoderatam dixerim.

Vix praedonibus erat a Curaçao reversis optimum de publica classe judicium facere ideoque, invito Pouançay, ea tempestate majus ad praedandum studium increscere visum est; piratae, nulla disciplina coacti, vicissim vicos multos diripuerunt, Portum Principis in insula Cuba, Sanctum Thomam apud flumen Orenocum, Trujillo Mexicano littori proximum. Eminuit eo tempore rector Grammont, qui traditos a priscis praedonibus mores, deprehenso Maracaïbo annis 1679, instauravit. Lutetiae ortus, Grammont primum pecuniam fecit quum in Antiliis, inter batavicum bellum, parvas naves praedatorias gubernaret; commilitonibus probatissimus, prout laboribus nunquam contritus munificusque, ubi primum bellum in Carthaginis Novae littus inferendum pronuntiavit, paucis diebus septingentos collectos habuit; non tamen eorum res prosperiores : Testudinem, pauca praedati, repetierunt [2]; anno autem posteriore, cum minoribus copiis, Grammont in portum La Guayra ultus est.

Pouançay hoc certamen permisisse litterae quibus Grammont erat instructus fidem faciunt; praedones ab eo ducti, circa quinquaginta centum ducentive, sese regi Gallorum parere profitebantur; hoc erat insolitum quod, nedum praetores a Gallia missi sociosque plerumque despicientes praeessent, istos, arbitrii sui totos, res a legato paratas patrare tentabatur; hoc prudenter cogitatum et eventu commendatum : praedones enim urbem vi expugnarunt, Rex Vivat! conclamantes, eaque virtute Grammont suos abripuit ut ante aciem sagitta laederetur; jam discessurus tormenta clavis pessumdanda curavit, ·ma quaecumque sui extollere non possent delenda, pulverem ıua adspergendam, moeniaque affligenda; direptionem vero omisit

1. Epist. Pouançay, febr. 1678. Col. Arch. H. — Le Pers, 92.
2. Col. Arch. H. — Œxmelin, V, 2. Haec quinta pars falso quarta inscribitur ɑ editione Trévoux data, 1744.

ut praedones, jam in militum regis formam mutatos, bellum ad europaeum modum gerere pateret (anno 1680, mense maio)[1]. D'Estrées qui Antiliarum classi praeerat, in vico Parvo Goave La Guayra captam esse monitus est, et ad regem scribere festinavit facilius in Hispanos bellum esse, multumque ad id gerendum praedones valere; Hispanos enim discordia domi turbari, quum cives in Europa nati natos in coloniis contemnant, illi autem fuscos, fuscique indigenas; praedonum duces, improviso vicos aggredientes, facultatem non relinquere dissentiones ad tempus sanandi; se ipsum denique eorum quemdam, nomine Champagne, honestiore loco in Gallia ortum, ab Hispanis captum dimitti imperasse, et Grammont aestimare, quippe qui multum adversus La Guayra illustratus sit non segniorem in navibus regiis ducem futurum[2].

Eodem tempore errones quidam, et ii Galli, primæ in mari Pacifico praedonum navigationis consortes versabantur : anno 1680, mense aprili, circa trecenti isthmum e regione sinus Darien transierunt; quorum duces, Sharp, Harris, Sawkins, Coxon et gregarii plerique Britanni erant, nondum tamen prisca inter Gallos Britannosque praedones societas adeo senuerat, ut nonnulli Galli Britannis sese non jungerent; Indorum princeps quidam, Hispanorum imperium detestatus, errones trans isthmum duxit, ut illis appareret quibus deinceps auxiliis fidere possent. Hispani autem, de hostibus audientes, Panama portum tribus altis navibus clauserant, praedonesque non nisi cymbis Indorum modo fabricatis vehebantur; navem Hispanorum praecipuam nautae Cantabri muniebant, virtute solertiaque ad vela ministranda praecellentes; nullis autem militibus erat a praedonibus non infestari, qui, quasi scopum occupare morantes, singulos ad gubernaculum aut in malis emergentes prosternebant; quinque naves onerarias, vino, saccharo, instrumentisque refertas, cum ipsa praetoria ceperunt; jam quibusdam Hispanis negotiari incipientibus, nuntiatum est subsidia submissa esse et alii alio palam dilapsi sunt. Quidam Mexicanum sinum per isthmum repetierunt; alii, duce Sharp, Americanum littus ad austrum legerunt : ab Arica expulsi, quam divitem capessierant, quod in ea Chuquisaca Potosique metalla condebantur, multum navigantes laborarunt; aqua sincera novaque carne carebant; vicis raro direptis, in isto torrido et sicco littore, non ea inveniebant quibus opus foret, eoqu modo oram plus duodecim mensibus circumvexerunt (ab occiden anno 1680 ad mensem januarium posterioris). Occurrente die Nat

1. *Quo modo La Guayra capta sit*. Col. Arch. H.
2. Epist. d'Estrées ad regem, aug. 1680. *Id.*, *id.*

vitatis, anno 1681, insolitum errones epulati sunt occiso porco, aliquanto ante capto, diligentiusque ad id unde res praeberet saginato; erat cujusque magna gemmarum aurique copia, fames autem divitissimum quemque premebat. Ineunte anno 1682, Antilias tandem redierunt; quum autem litteris carerent, eos excipere legatus in Antigoa repudiavit; paucis, nummis effusis, Jamaïcam aut Britanniam petere licitum est; inopes plerosque, pecunia ludo inter navigationem absumpta, in navibus manere oportuit, qui rem iterum fortunae committerent. Sharp, ad Londinium redux, auctore Hispanorum internuntio reus poscitus, fuga sibi consuluit; inter ejus socios fuit qui in Jamaïca, judicata causa, suspenderetur; plurimos invitis regis legatis, incolae libentius acceperunt, et quidam, Morgan vetus exemplum imitati, ipsi coloni facti sunt : actum erat de praedonum prisca felicitate; Jacobusque secundus, vix regno potitus, leges a Britannico senatu ferri jubebat, quibus in America saeviretur adversum praedones et quoscumque iis favere constaret [1].

Eadem in Sancto Dominico, Gallorum regis jussu, Pouançay vigere conabatur; rex, abolita Indorum societate, insularum tabacum quibusdam in Europa magistris locaverat, et ab eorum famulis tantum intra Antiliacum mare aut tabacum vendere aut nigros emere coloni permittebantur. Praedones igitur Pouançay, illiciter de tabaco nigrisque negotiantes, omni ope arcebat, nec intelligebat hac ratione suam provinciam minui : cui, prout d'Ogeron minus accommodato ad agendum per compositionem, incolae quondam professi sunt sese omnes insulas deserere velle et ad Jamaïcam migrare; a Testudine quotidie nonnulli discedebant, et qui maximum durabant in regione dicta Gallorum Promontorio insedebant, id est quam longissimum a legato et a conductorum famulis [2]. Quas inter angustias, in munus mortui Pouançay adjutor ejus, Franquesnay, successit (1682).

Illius ut Pouançay in animo erat piraticam omnino delere, obsistentem vero errones pro nihilo habebant, et incolae cum erronibus negotiari pergebant; imperante enim Pouançay et invito, multi intempestiva legati inclementia vexati, ad piraticam confugerunt, ideoque maximam inter praedonum facinora portus Veræ Crucis direptio famam consecuta est. Cui princeps Laurentius de Graff, jamdudum inter praedones celebratus, praefuit; natus in urbe Ostende Van Horn, cujus recens Hispani navem nigris oneratam publicaverant, ulciscendi studio accensus, duci de Graff vicarius adstitit; bis sexcenti

1. Narratio a Ringrose, Sharp socio, scripta. Edidit post Œxmelin H. Powell, ondinii, 1893, p. 275 sq.
2. Pouançay ad ministrum, maii 6. 1680. Col. Arch. H. — Le Pers, 93.

socii, cum navibus decem, et unaquaque tormentis bene munita exercitum conflabant; centuriones navigabant Godefroy, Yanqué, optimus quisque, ne multa, inter littorales socios. Grammont, post captam La Guayra inclytus, nuper fracta nave bonis evolutus, nauta gregarius in verba juraverat, unde conficias quantum ex hac navigatione exspectatum esset. Testudinis legatus impedire non potuit quominus praedones ancoras solverent; discedentes nihil movit quod sine litteris vela dabant.

Veram Crucem, urbis Mexico portum, inter omnes Hispanorum civitates munimentis esse praecinctam notum erat, portum ab alto munitam Sancti Joannis d'Ulloa insulam tueri, nec praesidentibus multos victus deesse tormentave. Habebat autem et grandes cellas quibus, dum « argentea classis » navigabat, Europaea Mexicanaque acervatim aggerata manebant, tantique porro ista copia erat ut praedones proposita, periculum aspernati, perficerent; ut res ab incepto securius gereretur, dolo frequenter usitato de Graff duas naves celerrimas Hispanorum vexillo protectas promovit, quas incolae onerarias a La Guayra cacao refertas assidue exspectatas esse opinarentur, iisque venientibus omnia quiescere sine cura confiderent. Pauci vero, mirati has naves, quas hispanicas ceteri dictitarent, vento favente in portum non vehi, quid suspicarentur legato explicatum ierunt; ille autem, occurrentibus salse irrisis, asseruit se navibus antea descriptis decipi non posse, et proximo die quid ipse de navibus censeret omnibus probatum fore.

Mane vero proximo die legatus e somno repente excitatus, circumsedentes mirabatur gallice loqui; domum ejus omnesque in urbe locos superiores, praedones noctu egressi praeceperant. Vix militibus incolisque cognoscendi quid fieret relicta facultas; semisopiti confertim in templo maximo congesti clauduntur; per vastam urbem diripiendo initum; triduum praedones bacchati captivis cibum tradere obliti sunt, ut omne foedus humanum animo ejecisse viderentur, dum aliquid lucrandum superesset; quarto die autem, captivis aqua panique donatis, de Graff civitatis Angelorum [1] episcopum urbane admisit, qui, dum provinciam obibat deprehensus, de Vera Cruce redimenda actum veniebat: bis millies mille nummos solvendos pactum est, quorum pars dimidia praesente pecunia, altera suburbanis locis collecta, in posterum diem numeraretur; quamquum classem Hispanorum admovi, et regis vices agentem in Mexico copias comparare fama foret, praedones exspectare nolue-

1. Los Angeles.

runt, sed discedentes mille quingenis nigris fuscisque, quum hominibus tum feminis, qui sibi damna supplerent, naves onerarunt.

De praeda dividenda inter de Graff et Van Horn acrius disputatum est et inde praelio singulari dimicatum; vulnerato Van Horn, de Graff citius vela dedit, et Parvum Goave cum suis petiit, van Horn autem, punctulo tantum in lacerto ictus, paucis diebus putredine interceptus est : navis gubernatorem instituerat socium Grammont qui, rebus haud ita secundis quam de Graff usus, tres menses tumido mari prius obnixus est quam in Sanctum Dominicum rediret; jam a nemine eum salvum esse sperabatur; praedam autem solidam servaverat et, invito ac negante legato, inter suos partitus est. « Hanc licentiam, scribebat Franquesnay ad ministrum, mutare nequeo; incolae enim de praedonibus emolumenta sumunt quos ideo libenter excipiunt; praesidio ad istos mores emendandos opus foret » [1]. Quanquam in Veram Crucem praeliati praedones sese sui juris esse affectabant, multi reversi inter colonos consederunt et legibus servire statuerunt : mulieres enim ex urbe capta revocarant, nigras plerasque aut certe non amplius quam fuscas; et quum eodem tempore mulieres adessent, vel secundae admissionis, pecuniaque abundaret, plerique conjugio legitimo quiescere gavisi, uxores duxerunt piraticamque ad colendos agros repudiarunt [2].

Reduces quoque Galli Britannique qui a Jamaïca venerant, simultates susceperant : publicatis interea, auctore Franquesnay, quibusdam in hispanica nave captis epistolis, Britannos conspicuum fuit, Gallorum facinoribus obtrectantes, sese Hispanorum praetori in Sancto Dominico adversus Testudinem auxiliares praebuisse [3]. Hoc nuntio coloni praedonesque in Britannos irritati, eorum nullum in futurum Gallorum societatibus participem fore statuerunt, iisque qui ad Veram Crucem capiendam adjuvissent suam sortem esse confiscandam; inde inter eos qui diutius socii vixerant bellum paene exortum est; infensa navis a Britannis ornata, occidente anno 1683, in freto Testudinem littusque sejungente anchoras jecit, quae Gallorum sedes observaret; quum ideo coloniam in discrimen venisse sentiret, Franquesnay cum Grammont, quem primum piratam haberi voluerat, in amicitiam rediit, eumque praefecit qui Britannorum navem expelleret; hac Grammont potitus, impedire non valuit quin Galli, Britannos insidiis egisse protestati, nautas omnes salvo tantum

1. Epist. Franquesnay, oct. 12. 1683. Col. Arch. H. — Le Pers, 94-95.
2. Le Pers, *loc. cit.*
3. Epist. laud. Franquesnay.

rectore occiderent [1]. Inde, inter Testudinis et Jamaïcae incolas, capitalis discordia; quos postea Gallos Britannosque conjunctos esse ad praedandum accepimus, legati regum amborum improbare properant et ab iis Britanni Gallique negotiantes idem cavent ac ipsi Hispani.

Imperante Franquesnay, Saint-Laurent, vir equestri ordine, praetor vicarius, et Begon, in insulis dispensator, ad Sanctum Dominicum, Gallorum colonias inspectatum regis jussu venerant. Relatum inter hanc concursationem explicuerunt [2] unde perspici potest quid primum de praedonibus excogitarent et quo modo postea, res experti, opinionem flexerint; jussi erant praedones in continentiam temperare, quum ministris in Europa summo taedio esset nonnullos a Ludovico XIV regnatos sic vivere ut vellent, et eos contemnere qui legibus admovendis a rege praeficerentur. Primum enim Saint-Laurent et Begon significant quae praedones quotidie agant injuria; ut jussi sunt, mirantur eos tantum cum litteris legati in Testudine, naves ornare, quum neque sponsores dent, neque magistratibus, quum discedentes, tum reversi nautarum indicem praebeant; eos porro quibuscumque naves explere, vel invito legato, destituendi rectoris facultatem usurpare, dum ab eo offendantur, decimam Gallorum navium praetori debitam inordinate solvere, nigros quos de Hispanis capiant venumdare, unde magno incommodo societas Africae exercendae afficiatur, maxima denique patrare contra leges moresque Gallorum; haec a Saint-Laurent et Begon ministrorum sollicitudini concessa; cito autem iis, rebus inspectis, patuit praedones istos, quanquam ad modum europaeum parum compositos, in pejus descriptos fuisse, et summae incolarum utilitati exsistere; assatoribus paene omnibus ita exstrictis, ut vix triginta in Sancto Dominico inveniantur, praedones multum pollent, navibus quatuordecim utuntur, quarum maxima quatuor et quinquaginta tormentis, minima quatuor munita est; numerum duorum milium explent, nec, ut antea solitum, erronum continuo vitam degunt : plerique villas possident et cum incolis societatem conjunctam habent; arma, victus, navesque, si res ita poscit, accipiunt et captis Hispanorum mercibus commodatoribus satisfaciunt; eos intra Antiliacum mare versari, quum adversos lacessant ideoque Gallos colonos tueantur, hoc tempore quam maxime expedit, quo junctis Britannis Hispanisque, Gallorun hostes plus quam duplicati sint. Sunt qui naves gallicas quoqu

1. Epist. Begon et Saint-Laurent, in Antiliis legatorum, ad regem, feb. 26. 168[illegible] Col. Arch. H. — Epist. eorumdem, a Martinica, jan. 1685. *Id.* C. G.
2. Ep. laud.

aggrediantur; hoc de paucissimis, quidam enim a legatis litteras postulant, et plerique nulli vim inferre, nisi regis hostibus, student. — Saint-Laurent et Begon, quum praedonibus favendum censerent, nimis forsan dissolute judicant; at praedones jure asseverant non nisi cautissime tractandos, quum saepius prodesse quam obesse videantur, nec eos prius minui oporteat quam rex ipse quoscumque in Antiliis hostes habeat omnino devicerit.

Ex hoc libello inferam quantum praedonum mores mutati sint; non idem igitur sentiendum de iis qui societates, ut legati scribebant, cum sedentibus faciebant, et de veris piratis qui, sensim rariores, a nullis excipiebantur, ut qui omnium navibus pariter infesti vagarentur; quorum alteri commercium illicitum, necessarium tamen cum Hispanorum colonis, consciis invitisve, sustentabant, alteri autem illi ipsi commercio obstare solebant; qui ut frangerentur, legatorum intererat utiliores a nocentibus discernere, prioribus tantum favere, id est, ut piratica deficeret, illicitum commercium admittere. Res ergo multum vertisse manifestum exploratumque patet; hoc omnino confectum apparebit imperante Cussy quem rex Franquesnay successorem destinavit.

Cussy jam in Sancto Dominico sedebat, quum ibi d'Ogeron imperaret; cum Pouançay primum, anno 1676, ad legati gradum promovendus frustra contenderat; eo mortuo, in Galliam profectus est, qui cessantem honorem occuparet; legatus a mense septembri, anno 1683 creatus, regis litteras discedens tantum accepit, martio mense, anno 1684 [1]. Magna eo tempore minister adversus Hispanorum insulas meditabatur; novum in Europa bellum exortum erat, et ut Hispani pacto in urbe Nimègue subsignato pro Batavis intactis pœnas luerant, sic Seignelay intra Antiliacum mare quidquid d'Estrées de Batavis non sumpserat Hispanorum damno pensari posse sperabat, ideoque Cussy jusserat, ut primum appelleret, praedones undique colligere qui cum militibus regiis proposita, ineunte hieme, pergerent; Cussy autem, aestate anni 1684 portum Testudinis ingresso, non vacavit mandata efficere; plerique enim praedonum duces, pauci litteris instructi, altum tenebant ad Carthaginem Novam, ad sinum Darien aut ad Vénézuéla profecti; quum eos Franquesnay piratas haberi praecepisset, nonnulli revertere dubitabant, summaque erat ...m iis usurpanda prudentia; quod ut regi exponeret, Cussy prae...onum copias epistola percensuit : Laurentius de Graff, navis *Neptuni* ...ctor, quinquaginta tormentis utitur et ducentis decem sodalibus; ...chael Cantaber, in nave *Mutine*, quadraginta quatuor et ducentis;

1. Col. Arch. H. — Cf. Charlevoix, II, 111, 139.

Grammont, in *le Hardi*, quinquaginta duobus et trecentis. Hic unus, a Franquesnay in gratiam reductus, Testudinem non reliquerat et a Cussy, vix occurrente, litteras ut praedando navigaret postulaverat. Cussy primum propositi Seignelay memor, eas detrectare arbitratus, mox voluntati Grammont obsecutus est, scripsitque ad ministrum se praedonibus, a Franquesnay inepte perturbatis, parcere velle, Grammontque nuntium ad principes misisse, qui navigantes conveniret et nullum in Testudine damnum iis inferendum polliceretur [1].

Cussy enim in animo erat praedones non vexatos, imo leniter acceptos ad agros colendos hortari, ne quid unquam nisi annuente regis legato perficerent; auctore Cussy de Graff gallica civitate, anno 1685, donatus est et domum posuit qua, duos annos postea, in perpetuum consedit [2]. Cussy, una simul nisus contumaces interpellare, severitatis exempla nonnulla edidit. Adde quod recens rex omnibus Antilias incolentibus negotiandi facultatem cum Hispanis concesserat [3]. Conscio, ut videtur, Hispanorum rege, gallicae naves multae Italicam ab America venientes petebant; privilegiis sane utebantur, ut postea illae quae, imperante Napoléon, singulari gratia cum Britannis mercandi licentiam obtinuerunt. Jam in Antiliis Galli commercium cum Hispanis furtim exercere desinebant; ubi nil illicitum in hoc habitum est, societatem non jam captiosam negotiatores cum praedonibus fecerunt, et illos, dum ordinate ad oras circumvehi, emptivi nautae, assuescebant, non jam accepimus tum immensum ditescere, tum adversa fortuna fame premi, ut antiquius usitatum. Quos illi disciplinae parere pudebat, in piratica perseverantes legatus litteris destituebat; novissimis, graviora passis, mox indomitus furor deflagrabit. Interea Cussy praedones crebrius hortatur ad bellum cum Hispanis componendum; commercium enim ordinatum utilius esse arbitratur, et sese de illo multum exspectare ad praetorem Hispanorum in Sancto Dominico scribit. Idem Michael Cantabrum, quod legibus non paruerit, in carcerem aliquot dies conjici non dubitat; sontes deinde tergo puniendos esse pronuntiat, neque ullam octo nautis majorem e portibus navem discedere concedit, nisi privatim permissam; litteras quum forte quasdam indulget, brevissimo tempore nihil proficientes subsignat [4], nec id ad formulam tantum : litteras anno 1684 consecutus, rector quidam

1. Cussy epist. aug. 1684. Col. Arch. C. G.
2. Ep. regis, aug. 1685. *Id.*, *id.*
3. Cf. Cussy epistolas, anno 1685.
4. Epist. jan. 1686. Col. Arch. C. G. et H. — Cf. le Pers, 95. — Si Ducasse (epist aug. 1. 1693) credendum, Michael Cantaber Testudinem ea tempestate reliqui. nec unquam posthac in insulis visus est (Col. Arch. C. G.).

ab urbe La Rochelle ortus, nomine Thomas, multa Britannica Batavicaque apud Africanum littus navigia interceperat; hujus, quum ad Sanctum Dominicum post duos annos redivit, navis mercesque publicatae sunt; navem, viginti quatuor tormentis munitam, Cussy littoribus Sancti Dominici inspectandis adhibuit [1]. Praedones in deditionem venientes in vincula mitti aut poenas varias dare rumor ab inimicis legati serpebat; ea quidem lex erat, Cussy autem legi non strictius consulendum curabat, ut abolitionem a rege decretam libentius proderet; ut quisque ad sedendum paratus appellebat, oblivionem praeteriti faciebat. Rursus vero ab Hispanis vexari non patiebatur, quorum si quos, vel litteris expeditos, praedantes deprehenderet, confestim suspendi sanciebat [2].

Eadem, hoc tempore, in Jamaïca evenisse fides est; epistolis enim ad nos usque servatis annoque 1687 datis, Britannorum legatus collegam Cussy rogat ut cum eo conjunctus praedones evertat [3]; ipse rex Jacobus secundus novum in Carolinam missum legatum Colleton, jubet in praedones acrius saevire, et mense novembri 1687 deligit sir Robert Holmes, qui intra mare Antiliacum foedera cum piratis quam plurimis faciat, ceterosque bello inexpiabili tollat funditus [4]. Pacto anni 1686, quo reges ambo ab omni contentione abesse statuunt [5], neminem in alterutrum litteras vel media manu consequi licere stipulantur.

Seignelay, anno 1683, propositum inierat Hispanos littus dictum Novam Biscaye incolentes expellendi; comes quidam, nomine Peñalossa, a judicibus ecclesiasticis in Hispania vexatus, Ludovico XIV sese praebuerat qui Gallos per eam regionem, quam exploratissimam habebat, duceret; Seignelay, quum recens audivisset a Cavelier de La Salle inventa esse ora fluminis Mississipi, Peñalossa propositum amplexatus est, quo Galli in locis a La Salle repertis sedere possent. Grammont igitur monitus est mille aut bis sexcentos praedones congregare, cum quibus Hispanos expugnaret; prospere conatum rex sublegatum nominandum spondebat [6]. Audito de Seignelay consilio, Cussy destinata Sancti Dominici colonis participavit; responsum autem ab illis est coloniae detrimento praedones in remotius dimitti; Sanctum Dominicum metallis adeo abundare, ut alia in Nova Biscaye

1. Ep. ad Seignelay, 1686. *Id.*, *id.*
2. Epist. mart. et aug. 1687. Col. Arch. C. G.
3. Col. Arch. C. G.
4. Mandatum britannice scriptum; die nov. 12, 1687. *Id.* H. — Cf. *The Carolina* [...]*ates*, 26.
5. Caput xv. Col. Arch. H.
6. Quaeque ad hoc spectant Margry edidit in *Origines françaises des pays Outremer*, III, 38 *sq.*

quaerere non praestaret, praedonibus autem orbari non posse, dum rex ipse colonos omnino tutos non effecerit [1]. Inceptum nemo persecutus est : Peñalossa Parisiis obiit, anno 1687; Grammont, Veram Crucem capessenti, nec copia nec studium erat ad ministri nutum agendi; hoc tantum memoria dignum, quod incolae, quid Sanctus Dominicus valeret, jam intelligebant, et praedones securitatis coloniae custodes existimabant, quibus auxiliantibus, ubi res praeberet, aequo animo indigerent; non jam, ut antea, Sanctus Dominicus praedonibus paene unice constat.

Nonnullas navigationes tamen Cussy prohibere non potuit : Grammont, forsan ne in munus legati regis cogeretur, naves anno 1686 contra Campêche ornavit, in occidentali parte peninsulae Yucatan; cui, jam collectis bis sexcentis sodalibus, in insula de Vaccis dicta [2], Cussy obviam fuit : sese litteras detrectasse iterat, regemque infestis oculis praedonum incepta conspicere, haec omnia in vanum; Grammont cum suis profectus est, adjutoremque sibi constituit de Graff, quem vita quieta nondum omnino delectabat; urbe ipsa facilius capta, unum castellum, non nisi tormentis caesum, et defendentibus extrema passis, deditum impugnantes exceperunt; Hispanorum ducis virtutem mirati, modicas conditiones posuerunt, victisque honeste pepercerunt. Duo menses in urbe morati, praedones commeatibus et armamentis potiti sunt; per agros quam latissime vagabantur, ut villas diriperent, et quum quondam equis impetum darent, ab insidiatoribus excepti, adeo graviter afflicti sunt, ut nunquam posthac equitarent. Quanquam ab insula de Vaccis dicta invito regis legato discesserant, Gallorum civium officiis, dum eos nemo premeret, summa pietate fungebantur : incurrens enim eo tempore quo Campêche incolerent solemne Sancti Ludovici eo alacrius agitarunt quod sumptibus regis hostium epulabantur. Grammont et de Graff, de praeda rixati, diversi Sanctum Dominicum repetierunt, unde citius ad nova bella profecti sunt; redeuntibus tamen Cussy putabat sese vincula comparasse quibus in perpetuum detinerentur [3].

A ministro enim legatus, aestate anni 1686, ambos sublegatos nominari flagitabat, et Seignelay quum intelligeret nil nimia severitate nisi deterius futurum, missis quas Cussy flagitaverat litteris respondit de Graff in littore septentrionali, Grammont in meridionali sublegatum praefici. Ambo non eodem animo quid a rege decretum foret audiverunt : Grammont, ut primum ea novit, navem festi

1. Le Pers, 96.
2. A libe, apud Sanctum Dominicum.
3. Œxmelin, V, 2. — Cussy epist., 1686; de Graff epist., 1687-88. Col. Arc H. et C. G. — Cf. Charlevoix, II, 197 sq.

nanter ornavit, centum et octoginta sodalibus secum congregatis, et vela dedit, ne magistratus quiesceret; eos nemo posthac in Sancto Dominico vidit, et Cussy, ab anno 1687, mortuos esse censet [1]; nos igitur fugit quo modo vita excesserint, seu procella submersi, seu ab Indis, ut antea Olonensis fuerat, comesi, seu denique in ignoto cum Hispanis certamine interfecti. Grammont autem in Sancto Dominico desideratus est; vir animo promptissimus, inter plerosque praedonum duces urbanitate abstinentiaque eminuerat; eum vero Charlevoix notat vino muliebribusque illecebris perditus indulsisse et Dei incuria sacrilegum exstitisse [2]. De Graff autem regis proposita gratus accepit; quum navigationem haud ita secundam summa ope perageret, litteras in Sancto Dominico redux invenit, et statim munere studiosius functus est; praedones ut considerent persuasit, agris colendis otium dedit et adeo sese regi devotum professus est ut, suis nummis nimium praedando absumptis, stipendio indigeret ad omnia congruenter accommodanda [3]. Nullus praedonum dux, excepto Montbars, Hispanos eodem terrore percusserat; quum legatos ejus capitis pretium sese daturos proposuisse notum haberet, ab Hispanis vivus capi nolebat, et quotiescumque pugnam intra mare inibat, famulum ad pulveris arcam, incenso fomite instructum, ponebat, qui navem, si res posceret, dirumpendam curaret. Sublegatus factus et inspectando littori praepositus, non eadem alacritate de Graff praestitit, nec ideo multum ad administrandum valuit [4].

Audito de Grammont intercepto, de Laurentio de Graff vitam novam ineunte, multi iterum a piratica discesserunt; ubi novissimos in mari Pacifico majori detrimento quam utilitati versatos esse exploratum est, paene omnes praedari desierunt. Occidente anno 1684, jam Cussy de munienda provincia curante, errones nonnulli sese conjunxerant, ut Hispanis, maris australis littora colentibus, infensi procederent. Hoc spectantes, Galli pauci cum Britannis societatem facere non dubitarant, unde, recordantem quantum ea tempestate inter Jamaïcam Sanctumque Dominicum negotia tumerent, qui nebulones sese congregarint suspicari licebit; nullum rectorem celebratum, nec Gallum, nec Britannum, hujus propositi participem fuisse a Raveneau de Lussan accepimus, qui acta a sociis nobis tradidit; duces plerosque majora jam in continenti devinciebant quam ut incertam adeo fortunam arcesserent : Grammont enim Sanctum Dominicum non deseruit, nisi quum a rege ministerium accipere

1. Ep. Cussy. Col. Arch. C. G.
2. Charlevoix, II, 203.
3. Ep. ad regem, apr. 1. 1688. Col. Arch. H.
4. Epist. Ducasse, Cussy successoris, 1692. *Id.*, *id.*

ne cogeretur veritus est, et si forte Testudinem rursus petiisset, cum Cussy, ut antea cum Franquesnay, fato destitutus libentius in gratiam esset reconciliatus; ei ergo qui, ineunte anno 1685, ad Pacificum mare profecti sunt, infimi inter praedones vivebant, vappae quibus nihil audacius erat, utpote qui nihil perdendum haberent; ipsum Raveneau de Lussan, Parisiis honestiore loco ortum, primumque studiis excultum, a puero delectabat, patris domum deserentem, per suburbana vagari, adolescentemque arcano in navem ascendere, qua Sanctum Dominicum peteret [1].

Illius narratione intelligimus quanta in his erroribus pericula essent, Hispanosque, si paulum modo provincias accuratius instruxissent, totam praedonibus salutis desperationem facere potuisse. Quum autem privatim milites et ducum plerique virtute praestarent, deficientibus qui cuncta in unum moderarent, humillimus quisque centurio defensionem, ut res praeberet, ex improviso properabat; hoc est cur Galli Britannique praedones, numero circiter mille aut bis sexcenti, ad sinum Uruba securi naves reliquerint, isthmum transierint, donec flumen invenerint, nomine Chicam, quod ad mare Pacificum manare censerent, ibique cymbis fabricatis, ad littus usque vecti sunt; die mensis aprilis 12 (1685), juxta Panama sedebant, navibus suppeditati duabus, quae meridionalis Americae periplum perfecerant [2], multis interea Hispanorum navigiis deprehensis; inter rectores, qui fere decem erant, unus, nomine Grogniet, Gallus ortus erat; Menapium ducem David pauci Galli sequebantur; ceteri autem plerique Britanni; mox variis direptionibus haud ita prospere tentatis, discordia inter Gallos Britannosque edita est, et alii aliis itineribus diducti sunt; quum autem singuli per duennium in hostico insiderent, quidam interdum suas partes deseruerunt et ad alteras coierunt, ut anno 1687 ad capiendum Guayaquil visum est; palabundi interdum villis huc et illuc direptis durabant, et per epistolas cum Hispanorum legatis colloquebantur, quorum nullus exstitit qui, militibus in paucos dies collectis, insidentes vi expellere institueret.

Ineunte anno 1687, Britanni plerique discesserunt, alii ad Indos Orientis, alii confecta praeda contenti, periplo iterato, ad Antilias; inter eos quidam, sortibus alea perditis, in mare Pacificum redierunt, qui rei eventum experirentur. Capta Guayaquil, aut ut Lussan scripsit Quéaquille, hic annus in primis notandus est. Maxime miramur hoc oppidum, castellis et mille militibus instructum, trecentos a quadringentos errones quasi sedendo superasse : unus fere du

1. Cf. ipsius diarium (ch. I), a Charlevoix brevius factum, II, 154 sq.
2. De hoc periplo nihil scriptum ad nos superest.

Grogniet, in primo agmine vulneratus, post paucos dies obiit; vix viginti consortes insuper occisi sunt; suspicandum igitur censeo, rumore a monachis dissipato, praedones humana carne vesci et portentosam simiorum faciem proferre [1], terrorem, ut primum de iis nuntiabatur, defendentibus incidere, quo frangebantur. Guayaquil plerisque civitatibus Hispanorum divitiis praestabat; aurum, gemmae, margaritae, copiose inventa sunt, direptaque aurea aquila octo et sexaginta pondo gravis, cujus oculos smaragdi duo faciebant : ea sacerdotes tabernaculo utebantur. Cantato in ecclesia majore *Te Deum*, « id est gratiis Deo actis pro facinoribus secunde patratis, » praedones pecuniam urbis redimendae circa oppidum cogi jusserunt, ad trecenta milia nummorum aureorum indictam [2]; ipsi interea, in insula Puna, qua portus clauditur, deliciis indulgebant; eductis legati modulatoribus symphoniacisque, musica sese quotidie delectabant, abundantibus vinis rebusque ad epulandum exquisitissimis comissabantur, nec non indigenae mulieres, praedones humana carne rarius vesci expertae, plerosque donis optimis ornabant; Raveneau de Lussan, in connubium munusque occisi inter expugnationem cujusdam succedendo aptus ab ipsa conjuge aestimatus, in Galliam privatus vir caelebsque revertere maluit.

Collectis enim divitiis, quo modo ad Antiliacum mare rediretur, deliberatio erat; gravi praedae vehicula deerant et nonnulli febri correpti, aegri jacebant, nedum sua auferre possent; lentum igitur iter discedentes peregerunt ut, occidente maio profecti, vix circa augustum ad sinum Tehuantepec appellerent; in Guayaquil argentea vasa reliquerant, quum debilitatae naves non nisi commeatus nautasque sustinere possent; multum revertentibus laboratum, littora enim Hispani tuebantur et praedonibus obstabant quin terrae accederent, mercesque, ne victus esurientibus nautis praeberent, mulis intra isthmum transferri curabant. Autumno, junctis quibusdam qui a California, ipsi destituti, revertebantur, socii ob desperationem fortiores in Tehuantepec expugnato cibum invenerunt quo gemmis auroque onerati famem exstinguerent. Inde paucis equis civibusque captis, quos impedimentis cumularunt, isthmum transire coeptum.

Hispanis praesto erat transgredientes omnino delere, insidiaeque comparatae sunt; praedones autem ad id furoris venerant ut obsisentibus convitiarentur, « ignaris delicatisque quos, etsi forent fescucorum modo stipati, occurrentes obtererent [3]. » Die januarii 2 (1688),

1. Raveneau de Lussan, 235.
2. Le Pers, 99.
3. *Id.*, 100.

antequam castra moverent, cantatis supplicationibus, navigia merserunt; Hispanis mox adversi, sese dividunt, hostes pauci recta fronte demorantur, plerique autem, per silvam serpentes, a tergo circumeunt; imprudentes nec retrocedentes aciem restituere conatos disjiciunt, et die januarii 17, rivum attingunt, qui ad Atlanticum fluit; cymbis cito cortice structis, unda rapidiore praecipites quaeque servare potuerunt in dubium devocant; ad sedatum flumen denique perveniunt, eoque magna navigia, sexies aut septies viginti viris accommodata, componunt; die martii 9, post triennium erroribus absumptum, Antiliacum mare prospiciunt. Ut primum transeuntibus minus esse periculum visum erat, aemulatio inter privatos diutius exstincta resurrexerat : Britannos quinque, omnium divitissimos, quidam consortes interfecerunt, pecuniae alea perditae ultionem exsecuti. — Littus peninsulae Yucatan, ubi flumen sese effundebat, multum a Testudine aut Jamaïca distat, raraeque ad transeundum naves; occidente martio, navigium tamen nonnulli adversum prospectant; hoc cymba ut quisque promptus erat potiti, tumultuantes aggrediuntur, rectoremque jubent ad Sanctum Dominicum vela dare. Relicti ceteri in occasionem proximam imminent, ideoque, intra annum 1688, exiguae praedonum manus, inopia laborantium, Testudine, Jamaïca, variis denique portibus excipiuntur, ut cuique ultima navigatio praebuit. Ultima enim plerisque, graviora expertis, illa est, fortunaque deinceps aliis modis conquirenda videtur.

Mense martio 1688, Cussy ad ministrum scribebat priores ad Sanctum Dominicum confugisse; ceteros, qui plerique, carentes navibus, in littore Honduras adhuc manebant, erat arcessiturus; appellentem quemque humaniter accipiebat, et in fundis collocabat; jam in Parvo Goave, in Angiportu incolarum plerique equis et avibus cohortalibus utebantur, ordinatum recens erat certis tantum temporibus venari licere, quum in hac Sancti Dominici parte ferae silvestres aliquot superessent. Sedentibus novis colonis, et ad pacem in perpetuum propensis, Hispani quoque meliore disciplina cum Gallis negotiari studebant [1]. Cussy tamen non brevi tempore hesternos praedones ad modum mitium colonorum redegisse videtur; anno enim 1689 notabat adeo difficulter eos fiscalia regis decreta admittere ut omnia vectigalia in Sancto Dominico abrogare prodesset [2]. Quum jam abhinc plures annos nil fuisset de vectigalibus disputatum, hoc manifestum est praedones, vix sedere patientes, ultimum sese sui juris non esse desiderare.

1. Epist. 1688. Col. Arch. C. G. — Cussy ad ministrum epistolae permultae sunt, idemque ministri responsa.
2. Epist. nov. 1689. *Id.*, *id.*

Paucissimi navigandi finem non fecerant, inter quos Lesage, qui, Magellan fretum transire frustra conatus, nigros in Africano littore deprehensum ivit et postea Cayenne appulit ubi sociis, quos primum intra mare Pacificum cognoverat, rursus obvius est [1]. Eos pro virili parte Cussy quam severissime tractabat, et de Graff, ut recens honestiori vitae adscitus, acrius etiam insectabatur : navem quamdam britannicam a Gallicis piratis captam, jussu Cussy publicabat; Desmarets arripiebat qui, ad littus Sancti Dominici ut conscriberet consortes venisse et in Hispanos crudeliter egisse convictus, re judicata, suspensus est [2]; hoc primum accepimus crimine praedationis capitale judicium. Paulo postea, quum piratae, navibus in Britannos captis, ad Cussy litteras postulantes venirent, legatus, nedum concederet, eos militare coegit in exercitu quem ad expugnandum quemdam Hispanorum vicum comparaverat, veniam sane vice pollicitus [3]. Ita Cussy, tum lenitate usus, tum saevitia, quaecumque evenirent in utile aliquid vertere peritus, quum abhinc duodecim menses praedones a mari Pacifico redivissent, praedicabat omnia piratarum saecla vixisse.

Ipse tamen quodam modo desiderabat illud actum esse tempus quo in Portu Pacis decem aut duodecim naves semper expeditae forent, multis militibus impavidis instructae, qui coloniae commercium agrosque tuerentur; jam ad defensionem eas deficere scribebat, hostesque undique Gallis infensos instare, proximos Hispanos, alias in Curaçao Batavos, Britannos denique, quos in futurum maxime reformidabat; itaque a rege suppeditandos colonos oportere censebat [4]. Alienum autem tempus erat ut aliquid a rege rogaretur; inito enim bello de Augusta Vindelicorum societate dicto, rex optimam quamque navem ad Hiberniam miserat. Cussy ergo coloniam suis viribus pollere nisus est, ideoque nonnullos praedonum rectores varia mandata exsequi jussit : quos anterioribus annis ne nautas conscriberent praepedierat, eosdem, annis 1689 et 1690, excursionibus intra Mexicanum sinum cum praedonibus praefecit : Bernanos, a Grammont doctus, de Graff, Petrus Ambianus navibus ad id comparatis praesunt, nec parum proficit, quum Britannici piratae publicam navem *Constance* recens deprehenderint, legatusque quosdam Gallos suspicetur, a Sancto Dominico profugos, iis auxilio fuisse; ita Cussy laborem intendebat, et in Portu Pacis naves praesto adesse observabat

1. Le Pers, 100.
2. Col. Arch. Sancti Dom. leges, I, 93. — Desmarets ille idem esse videtur de quo supra dictum, cap. II, p. 26.
3. Epist. jul. 1690. Col. Arch. C. G.
4. Epist. aug. 24. 1689. *Id., id.*

quibus delectos viros, ubi opus esset, ad aperta loca properaret [1].

Praedones jam adeo modeste parebant, ut aequo animo sese milites nautasve adhiberi paterentur: incolis quadringentos equites nigrosque qui impedimentis onerarentur praebentibus, ipsi exercitum expleverunt, mille hominibus amplum, quo civitas hispanica Sancti Jacobi, quadraginta quinque leucis a Gallorum Promontorio distans, capta est: die junii 17, anno 1690, Cussy, motis a Portu Pacis castris, copias in fundo coegit, qui erat prisci legati Franquesnay; inde per dies circa quindecim, commeatibus provisis, instructi omni apparatu milites ad Sanctum Jacobum proficiscuntur; procedentes ab Hispanis insidiis excepti, jam auxiliantes incolae palari coeperant, quum Cussy, impetu a praedonibus dato, res periclitantes instaurat; vastam urbem confestim Galli occupant. Hispani quaecumque ornamenta habebant secum abstulerant, relictis autem quasi destinato victibus; quum nonnulli milites, eis usi, corporis aegritudine laborarent, Cussy ex hoc omnem cibum scienter fuisse venenatum suspicatus, urbem totam, exceptis ecclesiis, incendi jussit et haud cunctanter loco cessit (die julii 7). Multum miratus est, post paucos dies redux, Hispanos missis in Europam epistolis victoriae gloriam in se rapere, Gallosque se plus quam ducentos profligavisse jactare. Re vera autem Cussy scribebat plerosque Hispanorum narratu profligatos optima valetudine frui et ad novum bellum, ut primum rex optaret, esse paratos; vix vero sex et quinquaginta obiisse [2]. Hic enim fuerat negotii incepti proventus ut nonnulli continuo Sanctum Jacobum in insula Cuba deprehendere studerent; petitam Cussy facultatem concessisse non videtur, quod copias dividi nollet. Rex legato victoriam congratulatus, negotiatoribus Saint-Malo incolentibus litteras dedit qui, praedatoriis navibus ornatis, ad insulas excurrerent et littora Sancti Dominici in primis tutarentur; legatum eodem tempore monuit, Britannos societatem cum Hispanis Portus Rici ad aggrediendos Gallos comparare [3].

Nempe, anno 1691, qui in Sancto Jacobo victi fuerant, acceptam cladem reddebant: britannicae naves, expulsis a Sancto Christophoro Gallis, praesidia in Portu Rico deposuerunt, ut, medio januario 1691, duo milia militum apud Gallorum Promontorium appellerent, quum simul sexcenti aut septingenti ad eos terrestri itinere pergerent; discordia inter Cussy et Franquesnay, ambos defension' praefectos, res hostibus successisse fama est [4]; ambo autem vitium

1. Epist. 1690. Col. Arch. H.
2. Epist. jul. 20. 1690. *Id.*, C. G.
3. Epist. oct.-dec. 1690. *Id.*, H.
4. Charlevoix, II, 224.

istud tanta virtute compensarunt, ut alter alteri admotus, vulneribus concisus, procumberet. Raro praedones, fistulis solerter uti periti, hastatos hostium milites cominus dimicare permittebant; hac die autem, a quodam Hispanico centurione in apricum pratum inducti, a trecentis hominibus inopinato surgentibus circumdati, progredientes plerique, una glande sine ullo delectu immissa, exarmati et occisi sunt. Plurimo sanguine pugnatum est; Galli circiter quadringentos, Hispani profecto totidem milites perdiderunt; incenso Gallorum Promontorio, hostes agros proximos populati sunt et inde, nil amplius conati, discesserunt [1].

Hoc bello praedones visum erat non minore obedientia agere quam virtute militari; quibus priscorum morum nil supererat, nisi haec ad omnia audenda procacitas qua saepius adversi stupebant. Obisse Cussy, qui multos, ut quoque prudentius utebatur, ad sedendum impulerat, coloniae damno fuit, quum nullus, donec Ducasse, Cussy successor, adveniret, defensioni aequa industria consuleret. Merito Le Pers ab imperante Cussy Gallos in Sancto Dominico coloniam stabilius fundasse asseverat : circa annum 1690, arva plerisque domibus adsunt, quibus saccharum, tabacum, erioxylonque coli constat; recens nonnulli praedones, ab Hispanis docti, Gallos ipsi docuerant quo modo indicum seri et tractari possit; officinas quidam instruxerant, in quibus tela texerent aut coria cortice perficerent. Insulae notitia [2], anno 1690 a monacho Plumier conscripta, colonos ad modum confectae jam societatis vivere exploramus et, inter eos, assatores praedonesque in dies rarescere. Venientibus in Sanctum Dominicum familiis, quas e Sancto Christophoro Britanni expulerant, nihil antiquitus usitatum superfuit : erectae ecclesiae, judices constituti, quum antea plerique minimum de religione curarent et jus « ad Turcorum modum » diceretur [3]. Praedando navigare, defensionis causa, non jam prohibitum, praedones autem, cum colonis sedentibus intermixti, a priscis consortibus in Jamaïca omnino diversi, sui juris esse desierunt et communibus legibus obsequi coeperunt.

1. Relatio ad regem, 1691. Col. Arch. H.
2. *État de l'île. Id., id.*
3. Epist. 1690. *Id.*, C. G. — Lib. 1763. — Le Pers, 96.

CAPUT QUARTUM

IMPERANTE DUCASSE, ET POST CARTHAGINEM NOVAM CAPTAM, JAM A PRAEDANDO CESSATUR.

Regem citius audivisse de vico Gallorum Promontorio expugnato et de mortuo Cussy hoc argumentum est quod Ducasse, in vices defuncti legati successor designatus, jam mense martio anni 1691 in urbe La Rochelle ad navigandum paratus erat; mense junio profectus, appulit ad Sanctum Petrum in Martinica, ubi cum principe insularum legato communicavit, et, die octobris 23, Sanctum Dominicum nactus, quo modo fuisset versatus ad ministrum scribebat [1]. Electum esse Ducasse summum coloniae praestabat, quum nullus hanc provinciam exploratiorem haberet : ibi enim longum vixerat, dum societati Senegalis famulabatur, eamque quam cautissime incolis acceptam effecerat, quanquam nigros monopolio vendebat; mox in praedando tantam laudem erat consecutus, ut rex eum in navibus publicis admitteret, et brevi maximis praeficeret. Multis etiam postea meritis valuit ut eum jure Le Pers asseveret nostrarum coloniarum, quae funditus periclitabantur, fuisse restitutorem [2].

Mortuis simul Cussy et Franquesnay, adversis Britannis Hispanisque colonia ducibus orbata patebat; eos tamen contigit nihil expertos esse, quum nulla vi resisti posse videretur. Ducasse enim, ut primum advenit, Britannos narrat in littus Gallos a Sancto Christophoro deportatos, victu vestibusque carentes, conjecisse, lascivire autem milites, ludentesque armis inordinatis stare, quasi nundinario foro, centurionesque ad gregariorum licentiam sese componere; viro firmissimo colonia indigebat. Ducasse, quam a rege discedens veniam impetraverat, primum proscribi voluit : rex quibuscumque transfugis praedonibusque pœnam praetermittebat, eosque verbis etiam modestis fovebat, quum quosdam scriberet « ad peregrinos transivisse, ut negotiis occurrentibus consulerent, aut ad praedandum, et invito legato, navigasse ». Praedones plerique, hac temperantia allecti, ad Sanctum Dominicum reversi sunt, quos Ducasse persuasit ut congregati manerent, et cum hostibus regis, una suis, praeliarentur [3].

Enodatius explicandi quae in posterius bella evenerint, non hic

1. Epist. mart.-oct. 1691. Col. Arch. C. G. et H.
2. Le Pers, 107. — Cf. Charlevoix, II, 229 sq.
3. Epist. occid. an. 1691. Col. Arch. — Lib. 1763.

locus est, iis ad historiam Sancti Dominici potius quam praedonum spectantibus; id unum mihi exponendum videtur quo modo praedones colonos auxilio fuerint, auctore Ducasse legato. Ille enim, Cussy morem assecutus, paucos armatos semper habebat, nec pariter omnibus litteras negabat, quum nautae isti, piraticae nondum omnino obliti, agmen mobile, semper expeditum essent; quum opus esset, pedibus merebant, hostibus semper summa virtute intolerabiles; praedonum turba, dum a legatis inspecta continebatur, colonis quasi schola exsistebat, ubi ad bellum sese exercerent. Quum Ducasse intelligeret quantum praedones proficere quantumque obesse possent, illis tuentibus nitebatur ut agrorum cultorum incrementis colonia citius invalesceret sensimque praedonibus ipsis non egeret [1].

Anno 1692, Britannos vicum Leogane invadentes incolae rejecerunt progressi que Hispani per iter terrestre sese receperunt, ut audierunt de Graff, cum aliquot praedonibus, insidias in faucibus paravisse. His autem sociis ut quam plurimum uteretur, Ducasse eorum indolem expertus, bellum ultro inferendum censuit, nec hostem exspectandum : nonnullas praedonum manus in Jamaïcam aut in Hispanorum portus assiduo incitabat, qui navibus inopinato egressi, domibus direptis, eversis saccharo fabricando torculis, ablatis nigris, imprudentes lacessebant; ea erat captorum e Jamaïca nigrorum copia ut apud Sanctum Dominicum haec Britannorum insula « Parva Guinea » diceretur [2]; praedantes quidam, terrae motu quo Jamaïca die junii 19 anno 1693 laboravit, deprehensi sunt [3]. Hostes, quos incursantes vi delere desperarent, mercede conducere excogitarunt, hoc autem in vanum : Leogane incolae Britannum nuntium asperrime acceperunt, qui, oratoris nomine abusus, propositum istud inierat; Hispanorum praeses in Sancto Dominico de Graff pollicebatur, si Hispanis famulari assentiret, optimo imperio in navibus publicis esse ornandum, de quo, quum, post duos annos, in Gallorum Promontorio non magna conatus, sese dedisset, Ducasse defectionem suspicatus, quaestionem constituit; hoc de Graff erat injuriae, prout in Hispanos suspicioso et vel officiosis minime festivo; ut autem parum in oppido imperator ita multum in praedatoria nave rector valebat [4].

Maximum ea tempestate praedones expugnata Jamaïca (1694) illustrati sunt : septingenti circiter mense junio a Parvo Goave pro-

1. Epist. Ducasse. Col. Arch. C. G. et H.
2. *Id.*, mart.-nov. 1692. *Id.*, *id.* — Charlevoix, II, 242.
3. Le Pers, 107.
4. Ducasse epist. mart. 1692, nov. 1693, aug. 1695; epist. ducum Hispanorum ad de Graff, jul. 1695. Col. Arch. C. G. et H. — Cf. Lib. 1763.

fecti, duce regis sublegato Beauregard, haud procul a praecipua insulae civitate Portu Regio navibus egressi sunt; illaeso primum oppido, omnem regionem circa depopulati, lautius ut in agro captivo unum mensem vixerunt; tum, advecto cum praesidiis, in primisque praedonibus, ipso Ducasse, praeliari coeptum est : optima virtute freti Galli, ne fistulis etiam usi, geminatum vallum expugnarunt, quanquam tormentis et plus quam mille fistulis horrebat; distincte postea viciniam, eversis saccharo fabricando torculis, pessumdatis clavo infixo tormentis, domibus segetibusque incensis, vastam fecerunt; majorem tamen praedam aspernatus, Ducasse non nisi nigros numero plus quam tria milia secum abduxit. Medio augusto **1694**, legatus ad Sanctum Dominicum sese receperat; nonnulli autem eum sequi abnuerant; quadraginta circiter, dirupta nave, cum Britannis intra mare dimicantes, obierant; alii, et exemptis litteris, navigantes iterum vagabantur, quorum ducentos trecentosve, gregatim intra posteriorem hiemem reversos, Ducasse haud acerbius consectatus est : eos enim nunquam redituros esse censuerat. Ne multa, congregatis omnibus in Sancto Dominico praedonibus, Britannos in Jamaïca sedentes haud exiguum in tempus minuerat; pari victoria ex Hispanis relata, Gallos intra Antiliacum mare omnibus fore superiores sperabat [1].

Anno 1693, epistolas a Sancti Dominici Hispanico archiepiscopo ad Indorum consilium scriptas, praedatoriae navis rector quidam ceperat et ad Ducasse miserat [2]. Quibus perlectis, legatus persuasum habuerat Gallos provincia male procurata, vix castellis militibusque munita, eo facilius potituros quod jamdudum ejus incolae cum ipsis negotiarentur : initum enim a quibusdam Menapiis Italicanisque mercatoribus propositum Gallis hoc commercium adimendi consilium Indorum repudiaverat. Recens profligatis Britannis, Hispanos sociis orbatos vix repugnare posse videbatur. Ducasse autem ipse militibus carebat, diversis undique praedonibus, et incolis plerisque quaestuosi negotii magis quam belli studiosis; quum rex naves tres, quae in Jamaïcam usurparentur, jam praebuisset, nil amplius erat ab eo exspectandum, ideoque Ducasse invitus durabat, auctis pro virili parte cunctis Gallorum vicis, hostibusque quam plurimum per praedones lacessitis.

Maximum imperante Ducasse coloniam increvisse constat : incolae

1. Epist. mart.-oct. 1694. Col. Arch., C. G. et H. Epistola a de Graff de bell in Jamaïca scripta (nov. 19. 1694) lapsu in primo volumine Hist. S. Dom. inclusa est.

2. Cf. cap. II, p. 24.— Le Pers, 110.

multi, e Sancto Christophoro aut Sancta Cruce ab expugnantibus Britannis expulsi, in Sancto Dominico consederant; quos in Jamaïca praedones nigros arripuerant, legatus inter fundos et saccharo fabricando torcula distribui jusserat, idemque, indigenti cuique, dum sedere promitteret, humanus, pecuniam instrumentave de suo numerabat; fides est enim eum divitiis semper in utilitatem privatorum aut reipublicae fuisse usum [1]. Eo auctore praedones, quum bellis novis, post direptam Jamaïcam, non ditescerent, uxores in Sancto Dominico duxerunt, nec ad praedandum unquam amplius profecti sunt; priscorum colonorum liberi aliquot in Galliam missi sunt, qui disciplinis excolerentur, ideoque Ducasse ostendebat sese una Galliae Sanctoque Dominico consulere. Epistola quadam ad nos usque servata, quo modo res prosperius ageret, accepimus : qua praedo nomine Durieux quem, in Jamaïca captum a Britannis, mox fugientem ad Sanctum Dominicum piraticae poenitebat, a Ducasse sedulitatem officiosam postulat; sese inspecta, qua laboret, infelicitate, in futurum a praedando cessare velle, domique sedere; legato, qui multis pecunia adjuverit, eadem nunc benevolentia uso, nullum unquam accuratius esse famulaturum [2]. Recens Ducasse statuerat ut captas a praedonibus naves Britanni statim in Gallicis portibus redimere possent, eoque multi ad sedendum, acceptis nummis, indulgebant; vicis, ut quemque loco meliore positum existimabat, augendis studebat, eaque tempestate Testudo, unde colonia oriunda erat, ad nativam vastitatem revertebat : « vix ibi sexaginta manent, qui res liberius agant, sensim autem ad Portum Pacis cuncti transibunt » [3]. Hoc praedonum receptaculum deseri, praedones ipsos in novum esse mutatos, signum est.

Quum paulatim colonia Gallorum in Sancto Dominico ad modum ceterarum in Antiliis conformaretur, magis atque magis eam a longinquo regendi cupido erat, et legatus, seu ministro jubente, seu principe in insulis legato dominatum exercere studioso, haud ita liberius agebat : Ducasse igitur Blénac, cujus imperio pendebat, non amico utebatur : ab anno 1691, concedendarum praedonibus litterarum jus sibi uni vindicabat, et Blénac verbis parum modestis contra disputanti, quid sibi licitum censeret, significabat : non in Sancto Dominico res, ut in ceteris insulis, agi posse, quum ea una praedones continuo praebeat, ideoque ad ejus legatum pertineat litteras concedere, imo de captis decimam sumere; Britannos,

1. Cf. Charlevoix, II, 261.
2. Epist. oct. 15. 1694. Col. Arch. C. G.
3. Epist. mart.-nov. 1692. *Id.* H.

quibus Jamaïca quasi par Gallorum Sancto Dominico respondeat, nunquam ejus insulae legatum cuiquam in alio loco sedenti obnoxium decrevisse : quod supersit, multos merito mirari naves, a legato Sancti Dominici litteris instructas, nuper, auctore principe in Martinica legato, interceptas et piraticas habitas esse. De hoc Parisiis anquisitum est variisque testibus confirmatum Ducasse jure vereque contendisse; quanquam rem judicatam non ad verbum novimus, Blénac litem non obtinuisse patet, quum Ducasse continuo, ut solitum, litteras concedere videatur[1] : anno 1693, publica navis nomine *l'Emporté* praedonibus ornata, quum intra Antiliacum mare varia diripuisset, Martinicam vitabunda proximo itinere a Sancto Dominico Galliam petebat, praecepta primum a regis tabellione in portu Leogane praedonum participum sorte[2].

Causa autem cum Blénac victa, non cum ministro Ducasse aequa libertate frui potuit : quum Antiliarum negotia penitus cognosceret et paucis auxiliis totum Sanctum Dominicum Hispanis auferri posse dictitaret, non a Pontchartrain quibus opus esset consecutus est : invadentibus tamen Hispanis (1695), Gallorum Promontorium et Portum Pacis, qua virtute incolae florerent iterum constitutum est : sex milia militum ad Gallorum Promontorium navibus egressorum coloni expulissent, nisi de Graff dux impar exstitisset; in Portu Pacis, obsessi dies sexdecim, victuque indigentes, impetu in hostes facto aciem perruperunt, Hispanique, virorum adeo strenuorum haud securi, non diutius in urbe capta manserunt et viciniam non funditus populati sunt. Iis autem, dum frustra Ducasse a Ludovico XIV praesidia postulabat, debilitatus Carolus II naves miserat octo, quibus gallici praedones altum tenere coacti sunt, quo facilius Hispani terra potirentur[3].

Jam regi alia in animo erant : de hostibus novissimi belli sumptus ex parte saltem reparare instituerat, et nedum auxilia mitteret ad Ducasse, coloniam in Sancto Dominico existimabat multum ad naves publicas explendas prodesse, quae ibi vel insula defensoribus nudata suppeditarentur. Anno 1696, classem circa Cubam Hispanorum galiones observaturam dux Renau praedonibus in Sancto Dominico inscriptis firmaverat, eodemque tempore Pontchartrain, a se ipso dissidens, et Renau praedones conscribere permittebat et Ducasse ad ipsos domi detinendos hortabatur. Renau res

1. Epist. Ducasse et Blénac, oct. 23. 1691, dec. 4. 1692, apr. 25. 1693, mai. 25. 1693, mart. 30. 1694. Col. Arch. C. G. et H.

2. Pactum oct. 17. 1693 compositum. *Id.*, C. G.

3. Epist. Ducasse, 1695-1696. Col. Arch. C. G. et H. — Lib. 1763. — Cf. Charlevoix, II, 292.

non prospere successerunt, occisos imo praedones perdidit, quibus Sanctus Dominicus defensoribus caruit [1]. Optimos in navibus publicis rectores, quum de praedando ageretur, humillimus quisque praedatoriae navis gubernator superabat, errabatque minister quum inconvenientia jungeret, nec recordaretur quid ea ratione d'Estrées inter batavicum bellum in deterius esset expertus.

Anno tamen 1696, propositum probavit, a barone Pointis initum, centurione et tormentis navium curandis principe praefecto [2]: classem esse ornandam scribebat minister ad Ducasse, quae inter Antilias naves Hispanorum onerarias capesseret. Erat autem res multo amplior : Pointis enim, quanquam de hoc plerique certiores non erant facti, Carthaginis Novae expugnandae studebat; rex publicas naves praebebat, in quibus miles quisque ut officio publico mereretur [3]. Mense tantum septembri, nuntio navigio nomine *le Marin*, Ducasse a Pointis proposita parte aliqua novit : quibus ut conferret, omnes in colonia copias in primisque praedones congregare jubebatur; eos, detinendi causa, persuaderet Hispanos jam in eo esse ut Sanctum Dominicum iterum invaderent; ita nautas mille aut bis sexcentos, eum Pointis arbitrabatur expeditos habere posse. Post duos menses tantum, Pontchartrain secum reputat Sanctum Dominicum in discrimen adduci non oportere, ut aliquot Hispanorum civitates diripiantur, et Ducasse ad id tantum Pointis auxiliari indicit ut primum provinciam, cui ipse praefectus sit, non indefensam sine praesidiis deserat [4].

Hanc rationem Ducasse, quanquam minister Sanctum Dominicum non negligendum censebat, parum comprobabat; accepta tamen mandata exsecutus, advenienti ad insulam Pointis, occidente februario 1697, congregatos praestitit circiter sexcentos praedones, parvam venatorum manum, ducentosque nigros; centum et quinquaginta milites ex diversis portibus convocandos insuper habebat. Ducasse ad ministrum scripserat quantum propositam a Pointis Carthaginis Novae expugnationem laboribus plenam existimaret; esse enim hanc urbem vallis bene munitam, eaque ipsa tempestate, qua Galli impetum facere cogitarent, praesentibus galionum nautis, pluribus quam quinque milibus militum defensam; quum divitiis diri-

1. Epist. 1696. Col. Arch. regis mandata, Insul. Amer. vol. 1694-1697. — Cf. Charlevoix, *loc. cit.*

2. « Capitaine entretenu et commissaire général de l'artillerie de marine », hæc est publica Pointis auctoritas, ex epistola jul. 25. 1696. Col. Arch. H.

3. Epist. mart. 7. et jul. 25. 1696. *Id.*, *id.*

4. Epis. min. ad Ducasse, sept. 26; nov. 14. 1696. *Id.* C. G. — Regis mandata, *l. cit.*

piendis studeretur, in Portum Bellum potius quam in Carthaginem Novam vehi opus esse; hoc saltem esse in votis incolarum Sancti Dominici, Eos profecto legatus cautius investigasse videtur quum, de rebus certis commissa celare jussus, in epistolis quidquid ad bellum indictum spectet secretis notis consignet [1].

Praedones legato vocanti modeste paruerunt, et jam, occidente anno 1696, in Portu Pacis et Parvo Goave conjuncti sedebant; quum autem Pointis classem adspexerunt, septemdecim navibus et pluribus quam quatuor milibus centurionum, nautarum militum que ornatam, subdiffidere coeperunt; nunquam ad Sanctum Dominicum tot naves hominesque appulerant, forsanque praedonibus suspicandum erat, leges haud ita sanctas habentibus, sese, inter eos quasi demersos, fore ad bellum minus socios quam servos. Solertia tamen legati metu deposito, non praedones tantum Pointis ducem sectari statuerunt, sed etiam multi negotiatores participes in expeditione, navium institorum nomine, facti sunt et duae onerariae, *la Française* et *le Pontchartrain*, sese exercitui jungendi facultatem poposcerunt, nautis centum et octoginta Pointis confirmantes. Bellum in Parvo Goave diligentius apparatum est, aquam et lignum in menses tres navibus Pointis imposuit, et, a Ducasse quid littoralis consuetudo flagitaret doctus, praedones in quadraginta dies commeatibus suppeditavit qui de praeda dividenda renumerarentur.

Ut autem Ducasse Pointis humaniter utebatur, ita ille, contra, praedonibus severissime, quos ad ministrum scribebat nil melius esse quam erronum desertorumque colluviem, et ab ordinato duce, ut ipse erat, minimum observandos. Quo nihil praedonibus majori molestiae erat, et vix discedentes Pointis, ut atrociorem, relinquere nonnulli meditabantur : praedonem quemdam, quum praetoris centurioni parere abnueret, captum in vincula conjici Pointis jussit; mox, tumultuantibus ceteris, castrensi consilio judicatum capitisque damnatum ad supplicium duci; exspectanti denique mortem, jam oculis obligatis, veniam concessit. Hoc tamen artificio diffidentes non pacati, et Ducasse, ut omnia residerent, deliberatum cum Pointis praedae dividendae pactum proscribi festinavit.

Servatum habemus quoddam ejus pacti exemplum [2], a Pointis in nave praetoria *le Sceptre*, die martii 26, anno 1697, subsignatum, et in janua ecclesiae Parvi Goave, assentientibus Pointis et Ducasse, propositum : quo expresse significatum erat Sancti Dominici incolas praedones nigrosque, cum nautis publicis conjunctos, praedae div

1. Epist. feb. 4. 1697. Col. Arch. C. G.
2. *Id.*, *id.*

dendae viritim cum ipsis participes fore; quum nullo verbo diceretur certas res de praeda primum esse praecipiendas, praedonibus perspicuum videbatur sese omnium participes fore, deductis tantum, ut mos erat, decima parte praetoris, quinta regis, et denique pecunia qua commeatus creditos solverent. Adde quod illi, Pointis duritia minime allecti, sese manifesto in Sanctum Dominicum recepissent, si res minoris emolumenti futura visa esset.

Medio martio, ad promontorium Tibron vela dederunt, ubi, collectis totis viribus, plures quinque milibus sese conjunxerunt; e Sancto Dominico, militibus non numeratis, circiter mille quingenti venerant cum navibus undecim. Fides est, variis scriptis, Pointis falli, quum quadringentos tantum homines e Sancto Dominico Ducasse secum adduxisse referat, Ducasse autem quoscumque persuadere potuerit congregasse, imo nimium deserta colonia. Occidente aprili, quum a promontorio Tibron discessurae naves forent, Pointis nondum pro certo affirmarat quo pergeret, et Ducasse iterum Portum Bellum invadendi consilium dabat; non tamen Pointis deterrere valuit quominus in Carthaginem Novam sese conferret; et quum illam civitatem, divitiis opimam, classis vi deprehendere valeret, in id conventum est. Imperitus Pointis maris Antiliaci et Carthaginiensis littoris, naves a praedonibus moderari passus est, et, post dies undecim, ad civitatem in opportuno situ ancorae jactae sunt (apr. 12.)

Carthaginis Novae portus ipsi alto mari non adsidet, quum urbs, in interiore rupium intervenientium parte structa, mari quasi tergum vertere videatur; vadum autem despicit, quod non nisi angusto freto petere est, ab Hispanis Boca Chica nominato; urbem si quis, freto potitus, nancisci tentat, totum vadum, per munita vallis littora, circumeat opus est donec urbi adversus rectum iter habeat per insulas quasi suburbanas, et ad altam civitatis partem, in qua publica aedificia continentur, denique perveniat. Locus est igitur natura tutissimus, et Pointis, primum oppidum a mari expugnare conatus, in brevibus, dum speculabatur, prope interiit; quo doctus inito a praedonum rectoribus consilio assensus est et Bocae Chicae fretum irrumpendum esse decrevit. Omnia ergo disposita sunt ut castellum, quod fretum tuebatur, e navibus tormentorum globis obrutum ab urbe intercluderetur; die aprilis 16, globos mitti coeptum est. Hispanis autem par nari rejicientibus, longinquam fore obsidionem videbatur, quum auci praedones, summa temeritate agentes, deditionem admove·nt: quos in littore egressos Ducasse praeceperat missas per vadum Carthaginis praetore duas naves cum praesidiis a castello glanibus avertere; dictis autem non parentes, illi inter volantes globos ι castellum impetum faciunt; eos defensoribus adversos, et Hispani

navibus venientes missilibus a tergo petebant. Pointis, qui Ducasse aderat, ejus miserebatur, quod tam incautis militibus praeesset; cui Ducasse : « Sine fieri; mox isti tibi deditum castellum facient », tantamque fidentiam miratus, Pointis ad praedonibus auxiliandum cohortes parabat. Jam vero illi tormenta castelli ad silentium coegerant, quum emergens quisque miles certo ictu feriretur; quum fistulis non jam defensores nisi subinde uterentur, impugnantes, in fossam ruentes, scalas clamore magno poscebant, quibus moenia superarent. Hispanorum praetor, nomine Ximenès, oratores de pace misit; jam Gallorum copiae, praedonum exemplo accensae, castellum circumdabant navesque ex urbe missae discedebant; Pointis conditiones conscripsit; dimissis principibus, a praetore castelli claves accepit : « His, ait ille, totam Hispanorum Americam apertam habebis ».

Praedonibus, quamvis ab iis praecipue in ea re praeter spem secunda adjutus, nullam Pointis gratiam retulit : nullum permisit in cohorte mereri, quae castello, Hispanis profectis, insedit, nec praedam ullam inter eos dispensari posse decrevit, nisi quae in castello Nostrae Dominae *de la Poupe* dicto, jam propediem expugnando, sumeretur : quod autem Hispani, procedentes non opperti, deseruerunt, commeatibus ceterisque detractis, ut praedones nonnulli sese a sciente Pointis deceptos esse dictitarent; his praeerat, vulnerato apud Bocam Chicam Ducasse, centurio strenuus, nomine Galifet, de quo tamen parum accepto errones una et de Pointis clamosi querebantur; mox autem Ducasse in tantum convaluit ut iterum imperaret et discordiam sanaret.

Jam castella duo expugnanda supererant, ut Gallorum exercitus, omnibus urbis munimentis potitus, acie in laevam circumacta, ipsi oppido instaret; quorum alterum, de Sancta Cruce dictum, inerme Hispani deseruerunt, in altero autem, de Sancto Lazaro dicto, pontis tutandi causa, cujus primus aditus erat, hostem diutius sustinuerunt; quum vero praefectus intellexit praedones, per silvas serpentes, tutos procedere, qui defensorum fugam intercluderent, ordinatis militibus pontem transiit et sese in insulam recepit, Getsemani[1] dictam, in qua pars urbis inferior aedificata erat. Mira velocitate Galli tormenta in castello Sancti Lazari inventa in urbem convertunt; dum autem ad id nautae militesque intendebant, praedones « hanc nigrorum operam » facetiis insectatos per arva concursare, capt vosque deprehendere delectabat, aut, a vadi littore, Hispanos in i sula Getsemani collectos missis glandibus certatim prosternere. Hi

1. Ab Œxmelin *Gézémanie* scriptum; a Charlevoix, *Hihimani.*

pani non minus globos in Gallorum loca dirigebant, vulneratusque Pointis, dum tormentis disponendis consulebat, imperium legato Lévy cessit. Post septem dies, apertum ruina iter in Getsemani moenibus erat, et deserto ab Hispanis ponte, cujus dirumpendi aut consilium aut facultas defuerat, per opertas fossas Galli prope ad murum pervenerant. Die aprilis 30, Pointis impetum fieri jubet, et dum milites fossis tecti procedunt, praedones, tutelae incuriosi, luce palam praecipites ruunt, defensores in ruina positos evertunt et priores in civitatem ingrediuntur. Ducasse, accepti vulneris adeo immemori ut in agmine primo curreret, regis vexillum in moenibus proposuisse gloria fuit; quo confecto, trifariam iterum vulneratus se contentum moriturum, si res praeberet, asseverabat. Multum in expugnando Getsemani laboratum est, quum Hispani pedetentim in viis certarent et ad superiorem urbis partem sese reciperent; quum tormentis ab alto oppido suburbana peterentur, multi eorum, una cum instantibus Gallis, infestati sunt; ducenti, in ecclesia quadam implicati, non nisi ultimis glandibus consumptis fracti et ad unum occisi sunt. Jam alta tantum urbis Galli non obtinuerant, erat autem Hispanis animus primis cladibus ita percussus, ut proxima deditio videretur : foedus igitur die maii 3 ictum est : salva militari dignitate praesidium egrederetur, omnia autem tum reipublicae, tum privatorum victoribus transcriberentur; Hispanorum praefectus, nomine Diego de los Rios, cum Pointis subsignare voluerat, nec cum Ducasse, quem, praedonum ducem, dolo paratissimum arbitrabatur; hoc errabat, quum multo Ducasse et veritate et in socios gratia Pointis praestaret.

Occupata urbe et *Te Deum* in ecclesia majore cantato, Pointis praedam colligi jussit : civibus praescriptum erat quidquid gemmarum pecuniaeque possiderent ad aerarium ferre, quae Dutilleul, princeps in classi quaestor, praesente Pointis recognosceret; centuriones in domos missi exploratum ierant, ne quid pretiosi abderetur; miles quisque, si occultata inveniret, decimam partem praecipere permittebatur, nec non ideo receptores poenas dabant. Pactum erat ecclesias monachorumque domos salvas fore, hoc autem Pointis ablata pecunia se intellexisse dixit, et sacerdotes qui Gallis aderant in istis aedificiis percontantes auferre jussit quidquid ornationem tantum esse videretur. Inde evenit ut Dominicanus idam, nomine Plumier, quum Jesuitis et Franciscanis minime percisset, cum consortibus suis adeo delicatius egit, ut eum Pointis rbe objurgatum continuo munere moverit.

Praedam privatim subducere dilucide vetitum erat, deprehenque in manifesto scelere tignarius quidam indemnatus supplicium

sumpsit; attamen propius est fidem quemcumque varia victoriae monumenta sibi seposuisse. Ducasse in vanum flagitaverat ut ipse aut alter praedonum princeps recognoscendae praedae adesset; detrectante Pointis, in insulam Getsemani recesserat, ejusque socii plerique castra extra muros ponere, inter locos malignos, a Pointis jussi erant; quum autem jamdudum coeli naturae assuefacti essent, non morbo laesi sunt ut nautae militesque; Pointis interea praedam a fidis hominibus ad Bocam Chicam vehi, et ibi navibus publicis acervari studebat; inquirenti Ducasse quid ageretur, praedam dividendam esse respondebat, ut primum capta omnia navibus imposita forent.

Consilium Ducasse susceperat, quo Carthaginem Novam captam fuisse in futurum proficeret: milites qui a Sancto Dominico venerant Bocae Chicae praesidium fore cogitarat, cum incolis ducentis, centum nigris, quos in bello bene meritos manumitti expediret, praedonibus centum, paucis Gallicis peditibus, ad tormenta administranda idoneis, et duabus denique navibus haud ita magnis, quae littori inspectando destinarentur; ipsum Ducasse, cum legato Galifet, praefuturum. Hoc eo aptius compositum erat, quod colonos Ducasse noverat pro Hispanorum rege non esse obstinatos, et ideo Pointis fatigabat ut iis humaniter uteretur : die urbis deditae posteriore, monasterii cujusdam abbas sese pollicitus erat victum Gallorum praesidio praebiturum; alii, quanquam ea discedens praetor prohibuerat, ad insedentes tabacum, boves, gallinas mittebant, et jam in eo venerant ut, profectis victoribus, an Hispanos reverti sinerent an non consultarent. Pointis sane huic proposito assensus esset, nisi assentiri sumptui fuisset, quum praedonibus, antequam ad sedendum persuaderentur, solidum suum unicuique solvi oporteret; tum, bello fatigatos sperans aliquid remissuros, patefacta quam jamdiu instruxisset nequitia, quo modo praedam in Carthagine Nova captam dividi decrevisset proscripsit.

Die maii 26, anno 1697, quod in regis mandato ad id usque occultatum tenuerat, aperuit, et sibi praescriptum fuisse professus est, solutis, ut consuetudo erat, decima parte principis praetoris et quinta regis, illis qui societatem ad navigandum fecissent de primis decem centenis milibus decimam, de ceteris trigesimam tribuere, et quod superesset naviculatoribus servare. Perscriptis a Dutille[1] rationibus — die maii 27, quo illum cum Pointis consilia commu casse dixerim, — e Sancto Dominico quartam copiarum parte venisse reputatur; quum in totum praeda, solutis praetoris pri cipis regisque partibus, quinquagies centena milia librarum pro expleat, sociis circiter ducenta et quadraginta milia librarum dist

buenda sunt, id est Sancti Dominici viris, sexaginta milia, quibus, de duobus milibus gemmarum marchis, circiter marchae duodecim addendae sunt; Ducasse ergo ejusque consortes, secundum Dutilleul rationem, singuli quadraginta libras et gemmarum paucissimum erant accepturi! Iis tamen in primis res bene gestae erant, ipsique inter omnes maximum laboraverant. Non immodesta Ducasse postulabat, quum de praeda tota ad octogies centena milia librarum aestimata, vicies centena suis, id est singulis mille ducentas aut trecentas tribui contendebat.

Ut de Pointis dolo auditum est, iracundissimi praedones ad Bocam Chicam diutius manere noluerunt et jam in navem Pointis praetoriam expugnationem volvebant. Vix tamen a Ducasse dissuasos noctu fragor immensus excitat : Pointis, ad omnia paratus ut praedam totam auferret, furtim discesserat, et Bocae Chicae moenia accensis fomitibus in eo reliquerat ut citius dirumperentur. Hanc primum malitiam indignati, ad altum insectari praedones intendebant, quum autem eum longius iter praecepisse pateret, ab incepto destiterunt. Ducasse socios hortatus est ut Sanctum Dominicum repeterent; sese quam citissime regem moniturum de Pointis dolo pollicebatur; ulciscendi tamen cupidine, duci praedones non paruerunt : « Nebulo iste, aiebant, sortes nostras in Carthagine Nova reliquit; illuc has conquiramus! »[1] et dum Ducasse cum paucis, exempli praebendi causa, proficiscebatur, plerique in urbem reversi sunt; clausis intra ecclesias incolis, triduo decies centena milia librarum diripuerunt; quo confecto, ad discedendum res pararunt; Pointis navem unam reliquerat qua praedones Sanctum Dominicum repeterent, eamque sine victibus nautisve; attamen, si centurioni Francine credendum, qui unus illud refert, ea ipsa die qua proficisci instituerat Pointis, ad Ducasse libras centum singulis tribuendas miserat.

Ubi ad Sanctum Dominicum pervenit, Britannorum classibus elapsus, Ducasse in Galliam Galifet misit, qui jus a rege dici exposceret; minister, epistola die septembris 11 eum advenisse notat, eodem fere tempore quo Pointis; ille, britannicis navibus adversus, vento favente effugerat, parvum tamen navigium lentumque relinquere coactus, quo valetudinario utebatur. De rebus actis quaestiones decretae sunt, et Pointis damnatus, causa quidem inepte defensa : asseveravit enim, verbi gratia, praedones eum britannicis navibus adversum destituisse, quum facilius manifestum fieret classem a praedonibus abhinc septem dies discessisse, quum Britannis occurrerit. Rex ergo die 27 novembris ad Ducasse scripsit, cunctis ratio-

1. Le Pers, 100.

nibus subductis, quid fecisset ommino comprobatum esse, beneque emeritum Sancti Ludovici comitem esse creatum, cujus statim ab epistola recepta, dato privilegio, sumere ornatum permittebatur; quod praedonibus obveniret in praeda de Carthagine Nova capta, ad quatuordecies centena milia librarum aestimatum fuisse, quae victibus ceterisque necessariis nec non pecunia praeberentur. — Hoc profecto minus erat quam quod praedones legitimum sibi assumerent, rex autem hoc decreto confessus est eos non immerito debita flagitasse.

Difficilius computemus ad quantum acervata in aerario Carthaginis Novae praeda pervenerit, Dutilleul autem minoris eam aestimasse dixerim, quum Hispanorum quaestores frustra securitatem ab eo postulaverint [1] : Pointis repugnabat, ut scriptis nominibus istos quaestores tutos faceret, ea subsignare unde ipse postea posset furto insimulari. Rex, quum praedonibus ex parte saltem noxam luisset, Hispanorum ecclesiis monasteriisque capta ornamenta restituenda decrevit, de quo praecipuus sacerdos, episcopi absentis vices agens, per litteras gratias egit [2]. Quod ad praedones et Sancti Dominici incolas, ducenta milia librarum in Gallia iis servata sunt [3], qui sortes ibi accipere mallent; ceterum missum esse fides est, quum saepius minister anquirat quo pacto sit distributum [4]. Ducasse autem pro pecunia, citius effusa, ministrum orabat ut coloniam armis, commeatibus aut nigris suppeditaret; bello enim in Carthaginem Novam praedones ultimum sese protulerant, et, ut coloniae incremento consuleretur, maximum agris colendis studium adhibendum erat [5].

Multi inter Carthaginis Novae victores Sanctum Dominicum nunquam repetierunt; redeuntes, ab Hispanis aut Britannis vexati, dissipati omnes et multi capti sunt; nonnullorum in latomiis Boliviae aut in Britannorum pontonibus vita misere finita est. Pauci Ludovicus XIV post foedus apud Ryswick actum ut liberarentur

1. Epist. jul. 3. 1698. Col. Arch. H.
2. Epist. jul. 7. 1698. *Id.*, *id.*
3. Epist. ministri ad Ducasse, feb. 5. 1698. *Id.*, *Id.*
4. Epist. ad La Boulaye, inspectandis Antiliis praepositum, aug. 26. 1699. *Id.*, *id.*
5. De bello in Carthaginen Novam, Œxmelin narratio omnibus aequabilitate praestare videtur (V, 3). — Manuscriptorum praecipua, in Coloniarum archiv servata (C. G. et H.), ea sunt: Ducasse epistolae feb. 4., mart. 23., jun. 29. 169 libellus regi a Ducasse conjuge subjectus. — Narratio P. Plumier. — Commentarii : Galifet; — Pointis equitis, praetoris fratris; — Francine equitis. — Pactum de praeda dividenda, mart. 26. et maii 26. 1697; quaestoris Dutilleul rationes. — Quae pleraque Charlevoix perlecta breviora facit (II, 297 sq.). — De his Le Per pauca refert (112-114).

impetravit; si Ducasse consilio rex fuisset obsecutus, Carthaginem Novam sibi servavisset, unde multum intra Antiliacum mare negotiantibus lucrum emersisset; contra evenit ut, praedonibus ira exacerbatis eoque ad deteriora provocatis, res cum Hispanis instaurari, Pointis auctore, multo difficilius foret : Ducasse merito refert mercatores in Curaçao aut Jamaïca de capta Carthagine Nova maximum quaestum fecisse, qui urbem, profectis praedonibus, omnino suppeditandam habuerint [1]. Adde quod Sancti Dominici negotiatores, ut quisque in incepto particeps factus erat, una cum praedonibus damnum contrahebant, idemque ipse dispensator Deslandes qui quartum ad ornandas naves duas participarat [2]; adeoque colonia languescebat, ut Britanni villas in Parvo Goave securi incenderent. Qua omnium egestate moestus, Ducasse a rege missionem postulabat; hanc tamen non consecutus, in Sancto Dominico manere aequo animo tulit, et, ut colonia quam plurimum agris colendis invalesceret, intendit. Eum poenitebat quod rex, foedere apud Ryswick icto, Galliae esse partes quasdam saltem Sancti Dominici non expresse significasset, quum Hispani, nulla stricta lege coacti, infitias irent : Carolus II, rex Britannorum, hoc olim de Jamaïca sibi agnoscenda curaverat [3].

Ab anno 1697, praedones nunquam in Sancto Dominico partes proprias suscepisse videtur: pauci intra Antiliacum mare piratae supersunt, ab incolis vero non probati, qui eos, una cum regis legatis persequuntur; Ducasse frustra plerosque in insula de Vaccis dicta anno 1698 sedere conatus, quae jam in multum increverat [4], contra obsistentes naves duas a rege postulabat, quae ad Hispanorum littora commercium ordinatum tuerentur, incolasque certiores facerent Gallos praedonum non conscios esse : « praedones enim Hispani odio acriore quam Antechristum detestantur. » Legatis Britannorum in Jamaïca multum ea ratione inita successerat [5]. Piratae igitur undique agitati sensim tollebantur; nonnulli, ne vivendi genus novum ingrederentur, ad mare Pacificum transire meditabantur [6], nec quid de illis evenerit novimus. Ineunte anno 1700, de Brach, in Leogane sublegatus urbe, septem tantum naves praedatorias scribebat

1. Epist. sept. 14. 1697. Col. Arch. C. G.
2. Epist. Ducasse et Deslandes, jul. 28. 1697. *Id.*, H.
3. Epist. Ducasse, dec. 1. 1697. *Id.*, *id.*
4. Societatem, de Nova Burgundia dictam, negotiatores fecerunt, aug. 30. 1698, ıe insulam, duodecies centenis milibus librarum collectis, exerceret. (Consıtum in Col. Arch. C. G.)
5. Epist. Ducasse, jun. 29. 1698, et Beauregard, regis sublegati, feb. 14. 1698. l. Arch. C. G. et H.
. Epist. Ducasse, nov. 28. 1699. *Id.* C. G.

intra mare Antiliacum versari, scilicet britannicas quatuor, gallicas etiam tres [1]; hoc paucissimum videbitur reputanti quanta olim fuerit istarum copia, vivente Grammont, imo Olonensi.

Philippum V in Hispania regnum inchoasse, concordiam in Antiliis inter Gallos Hispanosque restituit : anno 1704, Ludovicus XIV Ducasse significat nihil esse ab eo agendum nisi assentiente marchione Castel de Los Rios, quem *sobrinum* denominat [2]; si opus sit, gallicae naves praebendae sunt, quae galiones tutentur; illum autem los Rios exploratum habemus Carthagini Novae, anno 1697, praefuisse, nec cum Ducasse pactum subsignare voluisse. Rebus ita mutatis, naves ne litteris instructas quidem praedatum ire licebat; hactenus a praedonibus actum industria audaciaque; nunc paci artibusque studetur. Galifet saepius annotat [3] Gallorum colonias ea tempestate citissimum habere profectum; Portum Pacis, ut in loco non opportuno situm, multos deserere, Gallorum autem Promontorium, Leogane, insulam de Vaccis dictam in magnum adolescere; intra unum annum, torcula saccharo fabricando duodecim dedicata esse; incolas, secunde actis stimulatos, ad laborem agrorum et parcitatem se conferre, fabros e parvis insulis advehi, nonnullosque jam divitias cepisse, unde, ut in regionibus recens exercitis solitum, contemplantem diversa mirari vacet : obligatos vix liberatos, luxuriosos certatim, ornatum ambitiosum, minus autem urbanum induere, consitores sex equis ad parvam ligneamque ecclesiam, qui missae adsint, ingenti strepitu inter agros vectari... Jam de jure dicendo, de tributis, de principum certaminibus agitur; praedones exstitisse um optimus quisque non meminit, quorum facinora plerisque vix aegri somnia fuisse videntur.

Bello autem quod de Hispaniae haereditate dicitur, in America ut in Europa Galli juncti cum Hispanis, Britannis Batavisque adversi obluctantur. Hoc in Jamaïca et Carolina coloni freti, praedatorias naves, novum antiqui moris exemplum [4], compararunt, quae, Gallicis una cum Hispanicis insulis instarent; quas ut avocarent, legatis summa opera erat, quum vix inter colonos nautas invenirent, qui praedonibus obstare vellent; anno 1706, d'Iberville cujus fama, summis in America septentrionali patratis, maxima erat, aegre satis multos socios sibi jungere valuit, ut, insula Britannorum Nevis deprehensa, nigrorum sex milia auferret; post paucos autem menses, Gallis minimum faventibus, ad portum Havanam vela dab

1. Epist. feb. 21. 1700. Col. Arch. H.
2. Epist. ad Ducasse, aug. 27. 1704. *Id.*, *id.*
3. Epist. 1700-1702. *Id.*, *id.*
4. Le Pers, 117.

qui primum naves, Jamaïcam expugnaturus, Hispanis expleret; ipsoque paulo post mortuo, socii diversi profecti sunt; anno 1709, comes de Choiseul, Sancti Dominici legatus, naves duas apparabat ut in publicos hostes praedatum irent, et, majorum more, pactum *chasse-partie* subsignabat [1]. Anno autem 1712, legati multa fuisse a praedonibus Britannis capta referunt, nec ullos homines habuisse, quibus repugnare valerent [2]; frustra conabantur quosdam ad praedandum hortari : non jam erat praedonum ferax littus Sancti Dominici.

Post pacem in Utrecht confectam, ipsi Britanni praedandi morem deponunt : occidente septimo decimo saeculo, multi in Carolina, nonnulli heretici a Gallia expulsi, consederant; oryzam serere coeptum erat, et piratae magis atque magis hostes publici habebantur : qui principes ea tempestate praedonum duces eminuerunt, Thatch, Stede Bonnet, Worley, a judicibus, ut primum capti, damnati sunt : Thatch, de cujus capite pretium factum erat, adversae navi a legato in eum missae infensus obiit (1718). Eodem anno Bonnet, a tribuno militum Rhett deprehensus, in urbe Charleston suspensus est, supplicioque pari Worley afflictus. Inter omnes, legatus Carolinae Johnson studio in piratas sese insignem fecit [3]. Ab hoc intra Antiliacum mare non nisi singulares fuisse praedatos videtur.

Res quibus olim praedones viguerant in multum erant mutatae; in Gallorum Britannorumque coloniis, majoribus factis, jam omnia erat invenire quibus naves, et neglectis Hispanis, citius onerarentur : « decimum annum agris colendis operam damus, scribebat sublegatus La Boulaye, anno 1700, quum primum ibi non nisi errones exsisterent qui sese totos venationi praedaeque dederent; jam nunc navibus quinquaginta negotiatores consitoresque in Sancto Dominico utuntur, et brevi aliis opus erit » [4]. Ducasse, quem rex in Galliam revocatum, amplo munere in navibus publicis ornarat, ad res ita mutandas pro virili parte nisus erat. Eum successoribus imitatis, Sanctus Dominicus saeculo decimo octavo maxima inter americanas Gallorum colonias facta est. In ea societate ordinata, opum variarum divite et a legatis regis ad modum Galliae ministrata, nullus est nunc praedonibus locus, qui labori distincto legibusque repugnent; eorum, ubi cum publicis navibus societatem fecerunt, fortuna defloruit; jam Hispanorum coloniarum commercium peregrini quasi

1. Pactum oct. 10. 1709. Col. Arch. H. — Cf. Le Pers, 117, 120.
2. Epist. Leogane data, jun. 15. 1712. Col. Arch. H.
3. *The Carolina Pirates*, 70 sq. — Cf. Œxmelin (éd. Trévoux), vol. IV.
4. Lib. La Boulaye de praesentibus in Sancto Dominico conditionibus. Col. .rch. H.

totum occupaverunt, nec ad id agendum audacibus nautis opus est; quod tamen ut eveniret, praedones multum profuerunt, ideoque illos et in historiis perpetuis memoria dignos censeo, quum ad vertendas Americae conditiones plurimum contulerint; nec eos carptim et paulo longius inspicere molestum mihi visum est qui, postquam primum ingenio insolente excelluerint, sensim ad circumdantium mores coacti, denique omnino evanuerunt, pauci in insectandos piratas, plerique in colonos diligentes mutati.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. V Idus jan. ann. MDCCCXCV.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector,
Gréard.

INDEX RERUM

Columbariis. — Ex typis PAULI BRODARD. — 37-95.